

13
27



00160 *M. q. 15*

angeb. 00 *M. q.*
15

P. vi

27. 80

A V D O M A R I
T A L Æ I R H E T O R I C A

ε

P. R A M I P R Æ L E C T I O -
nibus observata.

Uná cum facillimis ad omnia præcepta ejusdem
artis & exempla illustranda, Com-
mentationibus:

Per C L A U D I U M M I N O E M *Di-*
vionensem.

Q U I N T A E D I T I O.



F R A N C O F U R D I,
Apud heredes Andreæ Wecheli Clau-
dium Marnium & Ioann. Aubrium.

M D X C I I I I.

A. V. D. O. M. A. R. I.

T. A. L. A. I. R. H. E. T. O. R. I. C. A.

3

P. R. A. M. I. P. R. A. E. L. E. C. T. I. O.

tribus oblectare.

Uti quod facilissimis ad omnia precepta quibusdam
artis & exempla illustranda, Com-
mencationibus:

P. R. A. M. I. P. R. A. E. L. E. C. T. I. O.

Q. U. I. N. T. A. E. D. I. T. I. O.

P. R. A. M. I. P. R. A. E. L. E. C. T. I. O.
A. V. D. O. M. A. R. I.
M. D. X. C. I. I. I.





VERE PRIMARIO VI-
RO GODOFREDO FAIO, RE-
GIÆ BURGUNDIONUM SCHOLÆ
moderatori lectissimo, Claudius
Minos S. P. D.

PLÆRIQUE sunt, optime
ac doctissime FAI, qui de
meis scriptis ita judicant, ut
nisi quid apud se suosve si-
mulent, in iis nihil impro-
bandum fateantur: sed hujus tamen ocii
mei rationem videntur iniquius accipe-
re, ut qui asseverēt has leviculas scriptio-
nes (sic enim appellant) aliis quibusdam
relinquendas, nobisque potius de rebus
longē gravioribus esse cogitandum, &
primo quoque tempore statuendum. At
versutum & figuratum genus istud ob-
trectandi populare quidem, sed non tam
honestum ac liberale puto. Ut enim per-
multa, quæ ultró mihi multa occurrunt
inter dicendum, prætermittam, an ego

A ij

quidem recte & ex officio meum istud
ocium impenderim, meque bona fide
hoc in exsoluendo penso literario gesse-
rim, aliorum esto iudicium: nam si qui-
bus fecerim aliquo tandem modo satis,
meumque studium, operam & industri-
am huic Academiae probarim, est certe
quod mihi gratuler, qui eam meta con-
tigerim, ad quam studiosi homines, mei-
que similes, consiliorum penes omnium qua-
si tela collimant: aut si nedum extremis
digitis id videar consequutus, eorum-
que iudicio imprimis, qui virgula qua-
dam censoria de aliis impuné & nimis
audacter pronunciant, non est quod mul-
tum elaborem, ut qui placere omnibus
minimé unquam cogitarim. Sed ut ut
res cadat, in spem optimam venio, meum
istud ocium, vel negocium potius, non
omnino male impensum, quippe qui
jam huius laboris fructum uberem sane-
que jucundum me accepisse gaudeam,
quod nisi mihi certum constaret, ut fal-
laci quadam spe tamdiu lactatus nihil dum
haberem quod me oblectaret, facile ab
ea contentione dejicerem oculos, neque
tamdiu cogitationem figerem in iis quae
ad

ad nullam utilitatem & oblectationem aliquam liberalem referri mihi posse viderentur. Qua in re si mihi fidem nō habeant, & si hoc adeo illis studii placeat, ut de me ita liberē judicent, licebit etiam mihi, ut opinor, & quidem precario dicere quod nunc in mentem venit. Nunquā mihi placere potuerunt ociosorum hominum voces importunæ, qui nescio quid semper mussent de aliorum industria, cū interea nihil ipsi melius afferant, vel ignavia vel fortasse imperitia deterriti. Quid quæris? Id si tu pro animi tui sententia prætermittendum esse ducas, nihili que faciendum, refragari ne quidem ausim: sed velim me pro tua facilitate doceas, qua ratione possim tam severum & iniquum castigatorem admittere, qui criminari norit, potiora verò suggerere unquam nolit, aut fortasse non possit? At quā sit iniqua in re omni accusanda prætermisissis bonis omnibus malorum enumeratio, vitiorumque selectio, tenes unus omnium optimē, vir cordatissime. Itaque tantum abest ut me ii, adeo parum candidi æstimatotes, a meo instituto dimoveant, ut frigidam

suffundant, animosque adjiciant ad ea
persequenda, quæ succisivis horis con-
do & compono, ut mox depromere pos-
sim, quod ait ille: quãdoquidem nullum
inde cuiquam detrimẽtum videam im-
portatum iri. Id enim, ut non est ejusmo-
di quod in arce poni debeat, tanquam il-
la Phidię Minerva, sic extremum tamen
locum non occupabit, ut nullius planẽ
calculis approbetur. Scio quidem, scio,
quã tenuis illa mea sit & infra medio-
critatem supellex, ut istuc perpetuó mi-
hi obversetur animo tanquam de me di-
ctum:

*Serpit humi tutus nimium, timidusque
procella.*

Et profectó, viam qui nescit qua deve-
niat ad mare, eũ oportere amnem quæ-
rere comitem sibi, optimum non modó
vidi, sed firmo animi proposito prima se-
quentem honestum esse in secundis ter-
tiisve consistere judicavi. Quid si aggre-
derer aliquid ab iis studiis, in quibus as-
siduẽ verfor, aut etiam á meo profitendi
munere alienum, vel denique quod mi-
nimẽ ferret isthęc mei ingenii medio-
critas? statim enim, ut suspicor, torque-
rent

rent illud in me, aut, Ne futor ultra crepidam: vel, Quam quisque norit artem, &c. aut denique me temeritatis non ferendæ arguerent. Habeo equidem in manibus aliquid multo gravius, ut mirari tandem desinant. studiorum enim omnium suam esse tempestivitate nemo nescit, quæ non nisi restincto adolescentiæ fervore unquam probentur. Interea cum nihil habeam paratius, libellum hunc, quantumvis exiguum, tuo unius iudicio putavi committendum. Velim mihi suppeteret aliquid melius & politius, tuaque dignum vel eruditione, quæ suspiciunt & admirantur quotquot de ingeniis judicare possunt: vel humanitate animoque liberali, cuius testis ego sum cum aliis permultis, qui te imperatore laudatissimo meruerunt: vel morum gravitate probitateque vitæ plurimorum & civium, summæque dignitatis hominum oculis exposita: ut possem tandem tuorum certè maximorum in me meritorum gratiam, si non hac levi prædicatione, saltem tamen aliqua grati animi testificatione consequi. Sæpenumero enim mihi de multis cogitanti occurrunt

A iiij

doctissimæ illæ tuæ ad Plutarchum, auctorem certè gravem, disputationes, in quibus & Philosophiæ de moribus instructissimam quandã officinam, & eloquentiæ Isocrateæ arculas, & multiplicis historiæ thesauros intueor. Scio quàm acri ingenio pariq; iudicio sæpè de maximis artium omnium liberalium partibus eleganter & copiosè pronuncies: cum quibus præstantis & heroicæ naturæ partibus, eam gravitatē, insigni comitate conditam, adjunxisti, ut prætermis omnibus iis, cum quibus mihi sit aliqua vitæ conjunctio, tibi uni literato & acuto homini levem hãc mearum scholarum partem putarim esse committendam: quæ si tibi uni ex omnibus probentur, non est quod aliorum iudicia morer, aut etiam reformidem. Ut enim olim Antimacho Plato fuit omniũ instar: sic mihi crede, siquid sit quod quibusdam nõ satis arrideat, nihil erit quod me moveat, tuo unius iudicio & auctoritate non parum confirmatum. Va-

le. Lutetia, Cal. Janua-

rii 1577.

PRO-

PROOEMIUM CLAU-
DII MINOIS IN HANC
TECHNOLOGIAM RHE-
toricam.

PER MULTI sunt eruditi homines,
quibus hac artis Rhetoricæ technologia
valde probetur: sed ex iis nulli penè
hactenus suæ sententiæ rationem ali-
quam in medium contulerunt, ut iis occurrerent,
qui à suis magistris persuasi, temerè & imperitè
de hac artis legitima descriptione pronunciant. Ex
iis enim audiui sæpenumero quosdã qui dicerent,
ab Audomaro Taleo confectam fuisse doctrinam,
quandam facilem, quæ vel à puerulis sine magno
negocio intelligi possit: sed in ea tamè permulta desi-
derari, quæ ab hoc auctore prætermissa vel intacta
videantur. Quid enim ajunt illi? de Inventione, de
Dispositione nihil prorsus hoc in libello traditur,
cùm nulla Oratoris dictio sine his partibus institui
unquam possit. Huc etiam accedit, quòd cùm de
Exordiis, de Narrationibus, de Confirmationibus,
de Refutationibus, deq; Perorationibus nihil planè
statuat, videtur artis hujus, quam informare com-
modè & peritè volebat, penè immemor, cujus nisi-
rum dignitati permultum detraxerit, quam par-
tibus tam necessariis spoliavit. Id etiam adjungunt,
de Questione, sed potissimùm finita, id est, *in* *duo* *de-*
o (qua tria causarum genera continentur) ali-
quid imprimis fuisse docendum, quandoquidem
nisi posito genere causæ oratio informari aut intel-

A v

ligi minimé unquam possit. Postremó de Statibus, ut illi volunt, prætermisissis conqueruntur: quorum doctrinã in Rhetoricis non tam utilem, quã plañe necessariam esse dictitant. Iis ego quidem bonis viris, sed nõ satis eruditis, si possim aliquo tandem modo fidem facere hac mea cõmentatione, erunt, ut opinor, alii fortasse, quibus non est animus falsis opinionib. obcecatus, qui me putent non adeo malè bonas horas collocasse. Antequam ergo respõdeam iis, qui hanc artem Rhetoricam, ab erudito certè & ingenioso homine veris & germanis descriptam partibus, imperfectam dicere audent, primùm ostendã paucis, quã legitima sit hujus institutionis ratio: & deinde quo consilio rejectæ sint alienæ ab hac arte præceptiones: ut auctorem ipsum vindicemus ab imperitorum quorundam magistrorum calumnia, & eam deniq; artem suis veris atq; germanis expressam coloribus ostendamus.

Artium
compo-
sitio, ex
Aristote-
le.

Aristoteles, vir acerrimo ingenio, parique iudicio, si unquam fuerit alius, ad artis cuiuscunque diligentem & exactam compositionem vult omnes præceptiones catholicas esse & generales: vult homogeneas, id est, proprias, nõ alienas, aut adventitias. Qui quidem canones, & præcepta universa atque homogenea, si verbis perspicuis & brevibus, nõ obscuris neque redundantibus exponantur, & adhuc illustrentur exemplis hominum excellentium, ex quorum naturis præstantibus artes primùm observate, & postremó confectæ sint, nihil cõmodius potest aut facilius occurrere, quod valeat ad artis perfectam & legitimã descriptionem. Quæ omnia an præstiterit hac in arte componenda exornandaque

Ta-

Taleus, neminem puto, qui non aperte facileq; videat, nisi eum & iudicium & humanitas, & doctrina liberalis omnino deficiat. Nam ars primū definitur ex d. & elegātia, id est, adione summa & perfecta, nempe bene dicendi: qua una descriptione omnia praecepta continentur, & ad eum finem unum revocantur omnia quaecunque de Rhetoricis tradi & statui recte vereq; possint. Definitioni subiungitur Partitio, illa quidem petita est naturali usu eorum qui quocunque modo bene dicunt. Nam praeter ornatum verborum & pronuntiationem, nihil est ad artis huius perfectionem somniandum. Quas partes duas ita commodē pariq; brevitate digessit, & postremo exemplis tam selectis & elegantib. illustravit, ut verā hanc & propriam, universalem inquā, & Philosophica descriptam methodo artem ausimus appellare. Neque verō fuit, cur in artis confectione (quam propriis & naturalibus praeceptionibus instituebat) de Inventione, deq; Dispositione quicquā praeciperet: has enim partes esse Dialectica proprias intelligebat, quae sua in arte non in aliena, docenda potius, quam confusa quadam praeceptionum farragine permiscenda videbantur. Non enim sequitur, si oratio sine inventione, locisque argumentorum & eorundem dispositione atque ordine confici non possit, praeceptiones eas in Rhetoricis minimē praetermitti debuisse. Nam eodem modo ineptē possem colligere, sine Etymologia & Syntaxi Grammatica nullā politam & elegantem orationem posse institui: proinde sequi eas esse Rhetoricae necessarias partes, quae nimirum si absint, nulla sit futura oratio. Quid sit de a quo & bono, de scriptis legibus, &

Quae propria huius artis.

Inventio, & dispositio, partes Dialecticae.

permultis etiam capitibus juris agant Oratores,
 quiq; ornaté & copiosé alio atq; alio modo dicunt,
 eas juris civilis partes Rhetoricæ artis esse cõtende-
 mus? Jã veró quoties de virtutibus, de vitiis, de af-
 fectib. in foro disceptatur? & tamen à Rhetore mo-
 ralem Philosophiã tradi debere nullus, nisi imperi-
 tus asseverare ausit. Dicam id pauló facilius, si ta-
 men cõsequi possim. Singuli artifices multa ex aliis
 artibus mutuari & tenere debent, quæ valeant ad
 artem, quã profiteantur, exornãdam & perficien-
 dã. Ea tamen omnia, quæ sic ab iis petuntur aliun-
 de, proprié non sunt arti subjecta quam tractant.
 Itaq; si in Poëta, vel Historico sit ordo & collocatio
 quedam rerum, id beneficio Dialecticæ præstat, non
 Historiæ: & si orator multarum artium cogni-
 tionem teneat, eam quidem non protinus ut suam
 sibi vendicat, sed assumit alienã, & ut sua utitur,
 quia eam varié copioséq; ornat. Id perspicuè decla-
 ratur M. Tullii verbis, primo de Oratore sub An-
 tonii persona: At si jam placet (inquit) omnes artes
 Oratori subjūgere, tolerabilius est sic potius dicere,
 ut quoniam dicendi facultas non debeat esse jejuna
 atq; nuda, sed aspersa distinctaq; multarum rerum
 jucunda quadam varietate sit boni Oratoris mul-
 ta auribus accepisse, multa vidisse, multa animo &
 cogitatione, multa etiã legendo percurrisse, neq; ea
 ut sua possedisse, sed ut aliena libasse. Fateor enim
 callidum quendam hunc, & nulla in re tyronem ac
 rudem, nec peregrinũ atq; hospitem in agendo esse
 debere. Verba hæc Tulliana sunt, quæ si expendan-
 tur ab omnibus, jam de tota lite hac pronunciatum
 est. Sũt ergo diligenter imprimis, & quidem neces-
 sariõ

Artium
 legitima
 cõfectio-
 ne distin-
 gui præ-
 cepta à
 præce-
 ptis: usu
 tamen o-
 mnia p-
 misceri.

sario distinguenda artes ab artibus: ut etiam artes ipse singula ab usu & praxi, ut appellant. Nam Oratione Miloniana, verbi causa, non unius tantum artis spectanda virtus est, sed multarum, & earum quidem, quae inter se praeceptionibus ipsarum forma secernantur. Artium enim distinctio, mirum quantum momenti afferat ad omnem liberalem disciplinam: ut contra nihil est quod magis remoretur ingenia etiam felicia, quam confusa & tumultuaria praeceptionum atque artium farrago. Earum tamen artium usus permixtus est in Oratoris dictione, in poemate, in disputatione Philosophorum, & aliorum etiam artificum, quotquot vel dictione vel scriptione utuntur. Qua enim ratione quis pure & emendate loquitur, Grammatici munere perfungitur, seu Cicero, seu Virgilius, seu alius quispiam: qua parte ornamenta & tanquam lumina in dicendo vel scribendo adhibet, elocutionem Rhetoricam consecratur: quo nomine argumentis fidem facit, Dialectici partes exequitur: si de moribus, de vita, de institutione domus vel familiae, de civili administratione agat, id debetur morali doctrina: & sic de ceteris disciplinis intelligendum est. Eae enim in praxi confuse sunt, sed in singulis artibus secernuntur, ne si simul proponantur, citius ingenium obtundat quam juvent. Scio quid praeterea objici possit, nimirum ab Aristotele, M. Tullio, & Fabio, viris aeterna memoria dignissimis, has partes in Rhetoricis praeceptis esse comprehensas. Id ego quidem certe inficiari nullo modo possum. Sed ut uno verbo respondeam, Rhetoricam quandam forensam, artium multitudine conflata in suo arbitrato descripserunt, eam soli

Qualis
Rhetorica
fit a veteribus
descripta.

Rhetorica hęc u-
niuersa-
lis, & ex
methodi
legibus
descripta
legitimę

Oratori vel declamatori accōmodarunt: eam non
cōmunem & generalem sibi proposuerunt, qualem
hic noster artifex ex Aristotele & methodi legibus.
Neg, enim putavit solos eloquentes esse, qui patroni
vel caussidici & oratores versarentur in foro, aut
declamatores vel sophistę in scholis: sed etiā in poē-
tis, ut Homero, Pindaro, Virgilio, Horatio elegan-
tiam Rhetoricam esse: in historicis, ut Thucydide,
Xenophonte, Livio, Casare, merā elocutionem ob-
servari: in philosophis deniq, ut Platone, Aristote-
le, M. Tullio & aliis quibusdam, aureum eloquen-
tia flumen, id est, verū germana Rhetoricę usum,
versari optimę iudicavit. Concludamus igitur

Rhetorica nō est
duplex.

Rhetoricam non quidem duplicem esse (ne id qui-
dem durius esse dictum videatur) sed eam duobus
accipi modis posse: uno quidem, pro arte & doctri-
na benę & ornatę dicendi ab aliis omnibus separa-
ta disciplinis, tum subiecto, id est, materia, tum et-
iam sine seu forma: altero verō modo pro facultate,
qua instructi debent esse, qui in foro vel iudicio
caussas civiles tractant. Quod si quis non admittat
hęc distinctionem, qua non artem ab arte proprię,
sed artem generalem a speciali quadam facultate
secernimus, audiat ipsum M. Ciceronem qui longę
ante nos, duplicem esse voluit, unam generalem &
Philosophicam: alteram forensē & specialem. Sic
enim de Finibus 2. Obsequar igitur voluntati tuę,
inquit, dicamq, si potero Rhetoricę: sed hac Rheto-
rica Philosophorum, non nostra illa forensi, quam
necesse est, cū populariter loquatur esse interdum
paulo hebetiorem. Idem Oratore ad Brutum: Sic
eloquentia hac forensis, spreta a Philosophis & re-
p-

pueriliata, multis quidem illa adjuventis magnisq;
caruit: sed tamen ornata verbis atque sententiis ja-
ctationem habuit in populo, nec paucorum judi-
cium reprehensionemq; pertimuit. Hæc ille. Quæ
si quis non satis intelligere sese fingat, vel etiam id de
facultatibus artis, non de artium distinctione dici
à M. Tullio, non ero quidem illi molestus: sed in-
tereatamen, ut sit ei factū satis, quæso evolvat eum
locum diligenter, quo de hac re tanquam arbiter
honorarius pronuntiavit Rodolphus Agricola, In-
ventionis Dialecticæ 2. cap. 18. Et ampliùs quod
desideret, nihil erit.

Et hæc quidem hætenus de Inventionem, quam Sciolorū
Dialecticæ partem esse jã nemo ambigit: nisi fortè quorun-
sit, qui ad fovendam malè cantorum adolescentum dam im-
imperitiã, nõ minus insipienter dicat Inventionem perita di-
duplicem esse, unam Dialecticæ, Rhetoricæ verò al- stinctio
teram. Ea quidem priore de locis argumentorum Invētio-
absolutè agi: hæc autè de iisdem locis, quatenus ad nis, in
orationes forenses accomodentur, adq; certas hypo- Dialecti-
theses. Quæ responsiore vera non aliunde proficisci cam &
potuit, quam ab officina quorundam sophistarum, Rhetori-
qui ea in re nihil plus vident, quàm videre possunt cam.
nocturnæ ad lumen solis diurnum. Jam enim docui-
mus unicam esse artem Dialecticã: proinde doctri-
nam unam Inventionis statuendam: at ejus usum
esse multiplicem variūq;, nec modò in Philosopho-
rum & Oratorum sermonibus, sed & aliorum ra-
tione utentium orationibus observandum. Imò ad
importunas quorundam magistrorum & tenebrio-
rum cavillationes eludendas, eq; adolescentulorum
animis evellendas ineptias sæpius dicendū nobis est,

Artis cuiusque regulas & praeceptiones ab aliarum artium praeceptionibus distingui & secerni, quod utile & necessarium esse nemo nescit: at multarum tamen praeceptionum usum esse copulatum & permistum tenent omnes, quia id aliter fieri minime possit.

Dispositio duplex.

Dispositio illa forensis, est vel artis, vel prudentiae (alii appellant methodum artificiosam, & methodum prudentiae) non quod in arte prudentia non sit (omnis enim praeceptio artis, est certe prudentiae) sed quod interdum praeter artis communes & descriptas leges, prudentiae viribus niti cogamur. Artis autem illa dispositio spectatur in ordine partium orationis, ut primo loco statuatur Exordium, deinde Narratio, tertio Confirmatio: quarto & postremo Conclusio ponatur: qui ordo naturae consentaneus est, itaque ut artificiosus & constans facilisque laudatur. At prudentiae illa dispositio cernitur ut plurimum in argumentis & affectibus: quibus in collocandis spectatur in primis hominis eruditi prudentia.

Cur hic nihil de partibus orationis statuatur.

De partibus orationis nihil hic precipitur (uti à vulgo Rhetorum, qui speciales tradunt inveniendi artes) quia doctrina haec de Exordio, de Narratione, de Confirmatione, de Peroratione, iisque membris orationis commode legitimoque ordine collocandis, pendeat à Dialecticis legibus, quae sunt de disponendo: non autem Rhetoricis, quarum vis omnis cernitur in eloquendo & pronunciando, uti iam dictum est. Quid autem attinet in doctrina generali & Philosophica speciales & minutas partes de oratione consicienda persequi, cum ars una esse debeat?

beat? Nam si de poematis cujusdam vel disputa-
 tionis, aut historiae partibus tractandū sit: earumq;
 rerum omnium œconomia & dispositio ex partibus
 aut integris (ut nominantur) aut etiam universis
 examinanda sit, non erit ars quaedam nova fingen-
 da. Etenim Dialectici fontes de disponendo sunt
 puriores & aptiores ad intelligentiam memoriã-
 que juvandam, quã rivuli excogitati à Rhetori-
 bus: quos quanquam non penitus aspernemur, eos
 tamen non eo habemus in numero, ut cum fontibus
 illis doctrina generalis, & universa conferamus.
 Hoc unum adjiciam: de orationis partium consti-
 tutione ac numero, quã dissentiant inter se Rhe-
 tores, longum esset admodum percensere. Nam A-
 ristot. 3. Rhetoricorum ad Theodectem duas par-
 tes in oratione necessarias, Propositionem sive Nar-
 rationem, & Confirmationem posuit: eò quòd is
 frequens usus esset Oratorum, qui apud Arcopa-
 gitas disceptabant, nempe ut detractis exordiis &
 conclusionibus, in quibus potissimum regnare affe-
 ctus putarentur, causam ipsam sine aliquo verbo-
 rum fuce nudam proponerent. Cicero in Partitio-
 nibus quatuor ex usu frequenti constituit, duas quæ
 ad fidem; & totidem quæ ad motum pertineant.
 Libris de Orat. Refutationem Confirmationi ad-
 jungit, aliquando etiam una utramque contineri
 vult. Fabius & alii nonnulli, quinque interdum, &
 plures pro ratione circumstantiarum ponunt. Quæ
 omnis partiendi & distribuendi ratio non est Rhe-
 torica, sed Dialectica prudentia. Itaq; si quis usum
 observet ejus Orationis, quam pro Archia poëta
 Cicero dixit, si atuatq; quatuor hujus actionis par-

Ineptia
 Rhetorū
 in trun-
 candis &
 confun-
 dendis
 præce-
 ptionib;
 artium.

tes, ut revera sunt, id non facit artificio Rhetorico,
 sed Dialectico, quod ipsum certè rationis est & or-
 dinis. Nihil postremò de *Questionibus* & *Stati-*
Cur nihil bus: quia *questionum doctrina Dialectica est: &*
hic de *genera causarum sunt tanquam speciales quidam*
Quæstio *fontes & loci, qui ad artem Topicam generalem*
nibus & *revocandi sint. Antonius apud Ciceronem, mate-*
Statibus. *riam Oratoris in generibus civilium causarum*
ponit: idq; facit non satis constanter. Cùm enim om-
nis ornatus propriè pertineat ad eum qui quo-
cunque modo bene & eleganter dicat, non videtur
consentaneum versari eum in sola causarum civi-
lium materia, & non potius in omni alio rerum ge-
nere. Fortasse quaedam videri facilitas doctrina po-
test in his duabus questionum formis, inq; trib. il-
lis causarum generibus: quod non inficiamur cer-
tè, sed dicimus has nō esse Rhetoricas præceptiones,
non minus quàm argumentorum loci & formæ ad
artem Grammaticam minimè pertinent. Dico
apertius in eo non parvus deprehenditur error ve-
terum illorum Rhetorum, quòd tam minutas &
conciſas causarum civilium regulas proposuerint,
eo quod omnis quæstio & cujuscunque generis,
communibus Inventionis & Collocationis Diale-
ctica legibus informari possit: sic enim rerum fo-
rensium Dialecticam doctrinam fabricasse tam
reprehensione dignum fuit, quàm si quis forensam
Grammaticam earundem rerum faceret. At scio,
quàm sæpè nobis reclamant viri illi boni, de quibus
initio dixi: nam Oratore politicum & civilem (in-
quiūt) instituit M. Tullius & Fabius, ut mittamus
alios qui ab ea doctrina minimè desciverunt: ad eū
 Ora-

Oratorem suam doctrinam revocari voluerunt, neq; aliud quicquam cogitarunt, quam ut eum omni cognitione, qua libero esset homine digna, cumularret. Teneo jam satis quod objicitur: sed cur id institutum huic auctori, eruditissq; hominibus minimé placuerit, sic facile percipio: quód Grammatica, Rhetorica, Dialectica sint artes omniũ rerum interpretes: quibus legitimé traditis utimur ad omnium disciplinarum, & eorũ quæ continentur iis artibus, intelligentiã facilem, accuratãq; explanationem. Si quid enim causse habuisse videantur, Rhetores illi Græci & Latini, cur Rhetoricam forensẽ confingerent, cedo, quid non etiã eadem ratione alii cõcinnarunt forensẽ quandã Grammaticam? imò verò specialem & forensẽ doctrinam morũ (si diis placet) instituerẽ ac persequi debebant. De motuum enim materia, quã multa sint apud Oratores, nullũ puto esse qui sit in auctorum meliorum lectione versatus, cui obscurum videri debeat. Statuum tota ratio præceptioque non alia est quã questionum, si artem spectemus. Statum enim questionem definire possum, seu præcipuum causse caput de quo agitur, vel disceptatur: nullaq; inter utramque vocem significationis differentia est, ut synonyma videri possint, quemadmodũ dispositio & collocatio: regula & præceptio: ars & doctrina. sed ideò sit horum verborũ distinctio à Philosophis & Rhetoribus, quo facilius rerum discrimen habeatur. Nam verbi caussa, Equumne sit conjuratum interfici? questio est, status est. Quod si à Philosopho tractetur; vel etiam à doctore proponatur explanandum, ferè usurpabit questionis

Rhetorica forensis.

Status & questionis quid differant vocabula.

nomen: Rhetor autem retinebit ipsam status appellationem. Non enim assentior iis, qui dicunt statum manare à questione, cum revera status nihil aliud sit, quam forensis controversia princeps questio. Quod facile persuaserim vel mediocriter eruditus, qui sciunt à Rhetoribus causam nominari, quod medium Dialecticis appellatur: Ἐκρινόμενον Rhetorum, esse αἰάλωσι Dialecticorum, sicq̄ de multis aliis. Sed hæc jam satis, imò verò plus satis, ut opinor: nunc ad alia progrediamur.

INDEX CAPITUM IN
DUOS AUD. TALÆI
RHETORICÆ LI.
BROS.

IN LIBRUM PRIMUM.



Quid Rhetorica, & quantas habeat vires.	cap. 1
Quid Tropus, κατὰ χησις, ὑπερβολή, ἀλληγορία.	2
Metonymia causæ quid.	3
Metonymia effecti quid.	4
Metonymia subjecti quid.	5
Metonymia adjuncti quid.	6
Ironia quid.	7
Metaphora quid.	8
Synecdoche membri quid.	9
Synecdoche speciei quid.	10
Synecdoche integri quid.	11
Synecdoche generis quid	12
	Tropo-

CAPITUM INDEX. 21

Troporum epilogus.	13
Figura quid, & quid figura dictionis.	14
Dimensio sonorum poetica vel oratoria.	15
Metrum quid, ejusq; primi autores.	16
Numerus oratorius quid, & ejus origo.	17
Quomodo observatus.	18
Epizeuxis soni & dictionis.	19
Anadiplosis quid.	20
Climax quid.	21
Anaphora seu relatio quid.	22
Epistrophe seu conversio quid.	23
Epanalepsis seu resumptio quid.	24
Epanodus seu regressio quid.	25
Paronomasia quid.	26
Polyptoton quid.	27
Quid figura dictionis, & quas vires habeat ad movendum praevenustate figura dictionis.	28
Exclamatio quid.	29
Epanorthosis quid, & quam varii usus.	30
Aposiopesis quid.	31
Apostrophe quid.	32
Prosopopœia quid, quantaq; & audacia & prudentie.	33
Addubitatio quid, & quanti usus.	34
Communicatio quid.	35
Occupatio quid.	36
Permissio quid.	37
Concessio quid, & cuius usus.	38
Tropi & figura quo plures concurrunt, tanto plus efficiunt.	39

CAPITUM INDEX.
IN LIBRUM SE-
CUNDUM.

<i>Pronunciatio quid.</i>	1
<i>Pronunciationis partes, vox & gestus.</i>	2
<i>Vocis ratio in singulis verbis.</i>	3
<i>Vocis cantus à Cicerone, Demosthene, Æschine, Quintiliano.</i>	4
<i>Vocis intentio & remissio quid.</i>	5
<i>Vox affectuum à Thrasymacho primùm observa- ta, non ab Aristotele.</i>	6
<i>Actionis lex Chironomia, & præstantia.</i>	7
<i>Gestus subsequatur vocem.</i>	8
<i>Gestus capitis in modestia & metu.</i>	9
<i>Gestus brachii tanquam teli ubi deceat.</i>	10
<i>Gestus pectoris, ferè scenicus.</i>	11

F I N I S.

AU-

23

AUDOMARI TALÆI
RHETORICÆ LIBER
primus, De elocu-
tione.

CAP. I. QUID RHETORICA,
Et quid Elocutio?

R¹HETORICA ²est ars bene ³di-
cendi. ⁴cujus virtus prudenter
adhibita, mirabiles effectus ha-
bet. Ideoq⁵ Plato Sophistas ⁶Gra-
cia Et Rhetoribus iratus, hanc
ipsam artem ὀψοπιικλῶ, κομμοϋκλῶ, κολακικλῶ, γρη-
ϋκλῶ, quandam obsonandi, fucandi, adulandi, in-
cantandi peritiam appellat. Platonem quoque
secutus Aristoteles, totum Rhetoricæ facultatis
artificium, in bene ⁷morata civitate supervaca-
neum esse judicat: tantumque ⁸ob auditoris per-
versitatem inventum. Denique Romani Roma
Rhetoricam expulerunt, hodièque Turca Tur-
cia tota è liberalibus artibus Rhetoricam solam
averfantur. Et quidem nullum est vel eodimenti,
vel fuci, vel adulationis, vel incantationis genus,
quorudes illi Et imperiti auditores (è quibus tota
civitates constant) facilius quàm Rhetoricis or-
namentis ad idoneam sententiam accommoda-
tis capiuntur. ⁹Attamen uterque Philosophus è
Rhetoricæ artis magisterio laudem affectavit: Et
istis ¹⁰ipsis convitiis Rhetoricam ¹¹hominum re-

B iiij

ginam effecit: saepeque alias¹² *Ἰουχαρῶν* flexaniam nominatim appellavit. Romanique tandem mirifico bene dicendi studio flagrarunt, & Turca mansuetiores facti, in Gracia praesertim, eloquentia parente ac magistra, sine dubio flagrabunt.¹³ ~~Partes Rhetorice due sunt, elocutio & pronuntiatio. Elocutio est exornatio orationis, eaq; per se plurimum potest: ut in Curione, qui tametsi ceteris eloquentiae laudibus maximè nudus esset, tamen elocutionis splendore, & copia, & bonitate quadam expedita, & profluente celeritate, orator proximus optimis numeratus est.~~

AD CAPUT PRIMUM.

1. Rhetorica, est ars bene dicendi] Initio ponitur Rhetoricae definitio ex causis, materia & fine, ut etiam effectis: arte primùm, quæ materia est seu genus, quod respondet materiae. nam Rhetorica, præceptionum est collectio, seu descriptio ad unum finem tendentium: deinde fine, nempe bene dicendi, ad quem finem præcepta omnia referuntur. ~~Effecta vero subjiciuntur ad illustrandam definitionem:~~ ejus enim artis virtus & facultas sapienter & commodè usurpata, mirabiles in se utilitates habet. Quàm sit utilis, ostenditur à Cicerone passim libris de Orat. & Fabio, cap. 16. lib. 2.

2. Est ars] Contrà, non esse artem, docetur apud M. Tullium primo de Oratore, sub Antonii persona, quo loco sententiã Carneadis de Rhetorica in medium adducit. Locus aliquantum prolixus ita coarctari potest duabus argumentationibus:

Si Rhetorica constat naturâ & usu, non est ars:

Sed constat naturâ & usu:

Itaque non est ars.

Item & hoc:

Ars componitur & constat rebus certis:

Rhetorica non constat rebus certis:

Non igitur est ars.

Sed

~~Sed primæ propositionis syllogismi primi cōsequens est fallax, quia q̄ naturā fit, & arte & usu fieri atq; perfici potest: quādo quidem trib. his, naturā, doctrinā, exereitatione seu usu, omnium rerū ac virtutū perfectio fiat. Ad alterum verō syllogismum responder. Crassus adhibita distinctione: artis enim vocabulum vult esse ambigū, ut vel pro reb. penitūs perspectis, planeq; cognitis, & ab opinione sejunctis, id est, scientia comprehēsis accipiatur: quo nomine nō putat artem esse Rhetoricam: vel pro doctrina quadā, quæ ad popularem sensum accommodetur, quæq; pro rerum ac circumstantiarū varietate mutari possit: quo sensu Rhetoricā esse artem dicit. Sed malumus ita solvere hunc nodū. Rhetorica rebus & præceptis certis atq; immutabilib. constar, si propriè ac legitimè describatur. Est autem incerta, si de forensti ac civili sermo sit, cuius praxis & usus inconstans est, eò q̄ ab hominū opinione pendeat. Ceterū Fabius Quintilia. li. 2. ca. 16. artem esse, aliquot rationib. probat: & aliorū argumenta quib. contenditur non esse artē, labefactat.~~

3. *Bene dicendi*] Cicero 1. de Oratore, & lib. de claris Oratoribus, ut etiam Plato in Gorgia, & Aristoteles libris de arte dicendi tradunt, Rhetoricā finem esse, persuadere. Sed Fabius lib. 2. c. 15. probat scientiam esse bene dicēdi: nam & pecunia persuadet, gratia, autoritas dicentis, dignitas, aspectus, recordatio meritorum, facies miserabilis, pulchritudo, meretrix, adulator. Deinde nō semper orator persuadet. Sequitur itaq; Rhetoricā non esse persuadendi, sed bene dicendi artem. At verō bene dicere quid sit, Cicero explicat libello de optimo genere Oratorum, nempe idem quod Atticè dicere: & 2. de Orat. scienter & peritè & ornatè dicere. In Bruto verō, prudenter intelligere, dicere est: initio 1. de officiis, aptè, distinctè, ornatèq; dicere. In Oratore perfecto, Loqui ad proprietatē verborum, & Dicere ad ornatū refert. Fab. autem Quintilianus, loco quem citavi proximè, ait his vocibus, Bene dicere, morales virtutes cōprehendi. Oratorem enim definit virum bonum, dicendi peritum: sed id ab eodem dictum est extra ipsius artis legitimè descriptæ ambitum.

4. *Cujus virtus*] Commendatio Rhetoricæ ex effectis: quod & amplificatur per prolepsim. Objiceret enim aliquis, à Platone & Aristotele, artē hanc esse reprehensam, tanquā inutilem, & à Repub. optimē morata valde alienam.

5. *Plato sophistis*] Locus est in Gorgia Platonis, ubi Rhetoricam, turpem & sophisticam nominat. Initio tamē dialogi, qui Epitaphii nomine inscribitur, quo loci ridet Oratores, ridetur summus Orator, ait Cic. I. de Orat. & in Oratore ad Brutū. Carneades & Diogenes Stoicus senatus consulto Roma pulsi sunt, tota q; Italia nō alio nomine q̄ quod eloquentes essent, ut est apud Plutarch. in Catone majore. Prætermitto quæ disputat Crassus 3. de Orat. magistros dicendi, edicto censorio sublato, nō q̄ Romani nollent acui adolescentū ingenia, sed cōtrā ingenia obtundi nolebāt, corroborari impudentiā. Nihil est etiā opus huc conferre quæ Gellius retulit Noct. Atticar. lib. 15. cap. 11. Tantūm illud admoneo, Aristotelem cap. 3 Rhetoric. I. ad Theodectem, hanc artē breviter accusare, ut etiā Marius facit apud Salust. in Jugurthino.

6. *Sophistis Græciæ*] ut Protagoræ & Gorgiæ, aliisq; qui arroganter profitebātur se posse de rebus omnibus sibi propositis ex tēpore in utramq; partem copiosē eleganterq; disputare. Quam arrogantiam Socrates, se nihil scire simulans detexit, & Rhetoricam reprehendit, non quod eam censeret esse inutilem, sed quod sophistæ, facultatis hujus corruptores, ut etiam disciplinarū omnium caupones impudentissimi, ea miserimē abuterentur.

7. *Bene morata civitate*] ut depicta est ab eodem Platone libris de Republ.

8. *Ob auditoris perversitatem*] verba hæc Aristotelis ἀφ' τῶν μεγάλων τῆ ἀκροατῆς: quo etiā loco Rhetoricæ Φορτὴν ἢ appellatur. Sed præstat integrum locū ascribere, ex lib. 3 Rhetor. δίκαιον αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς παράγμασιν, ὥστε πᾶσα ἔξω τῆ ἀποδείξεως περιεργία ἐστίν. ἀλλ' ὁμοῦς μίγα δυνάται, καὶ ἰσὺς εἶρηται. ἀφ' τῶν τῆ ἀκροατῆς μεγάλων. i. opus est eos rebus, id est, argumētis certare, ut alia quæ sunt extra probationes, existimemus esse supervacanea: multū tamen possunt propter auditoris improbitatē.

Sic &

Sic & ipsemet Aristoteles lib. i. ejusdē operis, ubi de affectibus agit, nō movendos eos, neq; torquendos vel ad misericordiā vel ad iracundiā, vel ad cupiditatem, metumve statuebat. Quia tamen vivitur non cum hominibus perfectis, aut non planē sapientibus, sed cum iis in quibus præclarē actū iri putatur, si aliqua significatio virtutis appareat. ideó fit, ut propter auditorū vitium, & naturæ aliquam depravationē, quæ in oratione præter argumenta ponuntur, multum valent, & necessaria sunt ad victoriam. immó veró Cicero & alii plerique in his solis orationem regnare ac dominari crediderunt.

9. *Attamen uterque*] Superior objectio solvitur ex factis Platonis & Aristotelis, qui non solūm Rhetoricis ornamentis usi sunt cū sui maxima laude, sed eam etiā artem docuerunt. Cicero ait i. Tuscul. neminē esse, qui Platonē eloquentia superare possit: in Oratore perfecto, non intelligendi solūm, sed etiā dicendi auctorem gravissimum appellat: in Bruto, nullū uberiores in dicendo fuisse Platonē scribit, & Jovem, si eloqui vellet, non aliam quā Platonis lingua usurū esse. Sed & Quintil. cap. i. lib. 10. Quis dubitet Platonem esse præcipuū, sive acuminē differendi, sive eloquendi facultate quadā divina & Homérica? Eandem artem dicendi Aristoteles ipse docuit, permotus Isocratis Rhetoris gloria, ut 3. de Oratore, & aliis locis Cicero ipse retulit: & flumen orationis aureum fundere idem Aristoteles dicitur. 2. Academic. disputation. Sed & Fabius eo loco quem nominavi paulo antē: Quid Aristotelem? inquit, quem dubito an scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acuminē, an varietate operum clariorem putem.

10. *Ipsis convitiis*] Eo quód Rhetoricæ ornamentis ipsam Rhetoricam videbatur oppugnare.

11. *Hominum reginam*] Aristoteles i. cap. Rhetoricorum ad Alexandrum, eloquentiā ait sapientiæ conjunctam, vitæ humanæ esse gubernatricem: ea de re Plato Alcibiade 2. in Theæteto, Philæbo & Gorgia.

12. *Ἰσχυροσύνη flexanimam*] Græcum epitheton usurpatum ab Euripide: Latinū ab Ennio: Græci autem Pitho, Ἰσχυρὴ persuasioneis deam: Latini veró Suadam nomināt.

Id epitheton tribui Mercurio, eloquentiæ & orationis Deo palàm est. ille enim — *animas evocat Orco:*

Dat somnos adimitq; & lumina morte resignat,

Atque alias etiam sub tristia tartara mittit.

Et istud quidnam aliud est quàm *ψυχαγωγείν*; id nimirum eloquentiæ maximum ac divinum putatur donum, oratione blanda sopire animos, nōnunquam excitare: aliquando pacem, & bellum aliàs inducere. Vidit hoc Cicero 2. de Oratore, sub Antonii persona, quo loci de affectibus disputat. sic enim: Sed tantam (inquit) vim habet illa, quæ rectè à bono poëta dicta est flexanima, atq; omnium regina rerū oratio, ut nō modò inclinantem erigere, aut stantē inclinare, sed etiā adversantem & repugnantē, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

13. *Partes Rhetoricæ*] De definitione hæc tenus, sequitur Rhetoricæ partitio seu distributio in duas partes ex materia quam complectitur. Veteres autem, ut Aristoteles libris de arte dicendi, Cic. de Inventione, libris de Orat. Partitionibus, Fab. lib. 3. c. 3. quinque partes constituunt: ea ratione ducti, quia sine illis, Oratoris officia perfecta esse non possunt. Ubi Orator intelligendus est, nō unius artis, sed omnium disciplinarū particeps, & in Repub. libera princeps. Hæ enim quinque partes non possunt unius & ejusdem artis esse, quanquā earum usus ab uno eodemq; homine, & in una atq; eadem oratione citra controversiam possint exerceri. Deinde Inventionis, Dispositio & Memoria exercentur mente & ratione, sine orationis beneficio. sunt ergo Dialecticæ potius, quæ ars propriè mentis & rationis est. Aristot. item 3. de arte dicendi ad Theodectem, Inventionem & Dispositionem ad docendum sufficere ait: Elocutionem & Actionem tanquam adjunctivas esse, & propter auditorum perversitatem repertas. Fabius autem lib. 5. cap. ultimo, rectè sentit Inventionem & Judicium à Dialecticis vendicari. Idē M. Tullius sentit initio Topicorū, & Partitionibus. Sed & rectissimè asserit Fab. lib. 11. c. 2. si quid artis memoria habeat, id totum dispositionis esse & ordinis: sapientes enim homines trib. maximè juvari memoriam dicunt, intelligentia, brevitatem & ordinis dispositione.

Sed

Sed ne hæc cōmentatio excrescat in immensum, id hæc probare ratiocinatione placet: Tot partes in unaquaq; arte sunt instituendæ, non plures, quàm sunt in propria ejus & naturali materia: Dialecticæ vis naturalis tota fita est in usu & ratione inveniendi, disponēdi, recordādi: Tot igitur sunt partes in ea explicandæ. Deinde illud addatur: In materia Rhetoricæ sola vis est eloquendi & pronuntiādi: ergo tot sunt partes Rhetoricæ: item quæ; Partes alterius artis non sunt in Rhetorica permiscēdæ: Inventio, Dispositio, Memoria, sunt veræ & germanæ partes Dialecticæ, ut jam perspicuū est ex superioribus: In Rhetorica igitur non sunt permiscendæ. Etenim artium omnium præcepta debent esse homogenea, id est, unius & ejusdem naturæ, ut nihil in Dialecticis Rhetoricisq; tradatur, quod non sit Dialecticum & Rhetoricum. Esset enim admodum importunum, si quid, verbi gratia, in Geometricis Grammaticum præter methodi leges traderetur: sic illegitima hæc doctrina censenda, in qua cūm de elocutione verborum agēdum sit, quidpiam inferciatur, q̄ sit Invētionis vel Judicii dialectici.

CAP. SECUNDUM QUID TROPUS,

κατάχρησις, ὑπερβολή, ἀλλήγορα.

¹ *Elocutio* ² *est tropus aut figura. Tropus est elocutio qua verbum à nativâ significatione in aliam immutatur.* ³ *Tropus verò Aristoteli ab accuratē docendo aliquando videtur alienus: quia velut ambiguitatis & obscuritatis latebra quadam sit: Ideoque fortasse Platonis oratio tropis frequentior, eidem visa est habere redundantiam, fucum, novitatem quandam. Sed aliàs tamen idem tropos collaudat, qui significantes, & grati, & é propinquo sumpti fuerint.* ⁴ *Et certé tropum necessitas genuit, inopia coacta, & angustiis: póst autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta est primò, póst adhiberi*

cepta est ad ornatum etiã corporis & dignitatem: sic verbi modificatio instituta est inopie causa frequentata delectationis. Delectat autem ideo, vel quia ingenii specimen est, transilire ante pedes posita, vel quod is qui audit, alió ducitur cogitatione, neque tamen aberrat: quæ maxima est delectatio. Hæc igitur prima sunt condimenta orationis, primaq; fucati medicamētæ ruboris & candoris. Sed tamē verecundus debet esse tropus, ut deductus esse in alienum locum, non irruisse: atq; ut precario non vi venisse videatur. 7 Quod si durior vel inæquior fuerit, ~~namque generis abusus dicitur, & anastrophe~~ Grammaticis dicitur. Sic 4. Aeneidos,

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.
~~Sperare pro timere.~~ pro Mar. Gladium vagina vacuum non vidimus, dixit Orator. Quod ex Livio nudum diceres. Audacia autem tropi, ~~et~~ ~~superlatio~~ appellatur. Sed cum troporum singulorum ornatus magnus est, tum continuatorum & conjunctorum multo maximus: quæ continuatio (si lubet) ~~et~~ ~~anastrophe~~ inversio nominetur. 1º Sed in allegoria tenendum est illud, ut quo ex genere rerum cœperis, eodem desinas secus insequentia fœdissima fuerit, ait Quintilianus.

AD CAP. SECUNDUM.

I. Elocutio est] Definitur Elocutio, commendaturque primùm ex effectis, deinde appositione exempli à Curione sumpti, qui sola Elocutione, sine Actionis dignitate, Oratorem sibi videri tolerabilem aiebat. nec mirum id quidem. nam ut scribit Cicero in Bruto, fuit domus Curionis assuefacta puro sermoni. Ciceronis hæc verba sunt: Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono tenuit oratorū locum: sic Lentulus cæterarū virtutum

tutum dicendi mediocritatē actione occultavit, in qua excellens fuit. Hic autem pater Curio intelligitur, qui quondā a tota concione relictus est, quia ejus avus Curio eloquentissimus fuit, ut est 2. de Oratore. Sed cū de elocutione nunc agatur, quid sit eloqui, paulo latius aperiamus: Cicero 1. de Orat. ~~disertum ait esse, qui possit acurē atq; dilucidē apud mediocres homines ex cōmuni quadam omnium opinione dicere: Eloquentem verō, qui mirabilius & magnificentius augere atq; ornare que velit, omnesq; omnium rerum quæ ad dicendum pertineant, virtutes animo atq; memoria complecti.~~ Idem in Bruto, & 3. de Orat. Elocutionem Oratori solam propriam putat, quia inventio, dispositio, memoria sunt Dialectici, & actio histrionis. eam tamen non definit neque dividit. In partitionibus multo subtilior est, ne dicam nimis curiosum, in ea ornanda parte quibusdam coloribus alienis. Oratore perfecto, Rhetorem vel Oratorem ab eloquendo denominat. Est enim ῥήτωρ deflexum nomen ab antiquo, sed inusitato verbo, ῥέω, ῥῶ, quod facit in futuro, ῥήσω, id est, fluo, eloquor: hinc ῥῆσις, elocutio, & ab ἑρρήτω, tertia persona passivi ἑρρήμαι (ab usitato ἀγροδομαι, quod est eloquor, concionor, in foro versor) fit ῥήτωρ orator, eloquens: & ῥητορικῆ, ars ipsa. Hoc vetusto verbo usus est Homerus Iliad. α. cū Nestoris eloquentiam commendat:

Τῆ κ' δ' ἀπὸ γλώσσης μέλιτ' ὀ γλυκίων ῥέει αὐδῆ: quod Cicero ad verbum ita vertit in Catone majore: Ex ejus lingua, melle dulcior fluebat oratio. Homerum & Theocritus imitatus est:

Οὐνεκὶ οἱ γλυκὺ μέλιτι κατὰ στόματ' ὀ χέει νέκταρ.

Quoniam ei Musa fundebat in os dulce nectar.

1. Elocutio est tropus] Elocutionis distributio in partes duas, Tropū & Figurā. Fabius Quintilianus lib. 8. cap. 6. mutationē verbi vel sermonis a propria significatione in aliā cū virtute definit. ubi vox sermonis. i. orationis, addēda nō fuit, quia tropus est in singulis verbis. ¶ patet ex eodē loco, ubi Ciceronem sequutus in Oratore perfecto: Ornatus, ait, orationis aut in singulis verbis, aut in conjuncta statuitur. In singulis, propria, novata,

translata. item alio modo, prisca, novata, translata. ubi translationis nomine, omnes tropos intelligit Cicero Aristotelem sequutus. Hic autem error deprehenditur quia in propriis, priscis, novatis, puris, Latinis, ars Grammatica versatur.

3. *Tropus veró Aristoteli*] Commendatio Tropi ex diverso Aristotelis testimonio, qui tropum non probat 2. c. 31 de arte dicendi ad Theodectem, & Rhetoricis ad Alexandrum, ut etiam in arte Poëtica, nam requirit in elocutione proprietatem nominum & verborum, ut dilucida & aperta sit oratio: quod Grammaticæ tamen proprium est. Deinde 6. primæ philosophiæ, ait Platonem vanis & poëticiis uti Metaphoris. Sed tamen ille ipse cap. 6. tertii Rhetoric. ad Theodect. tropos probat.

4. *Et certé tropum*] Augetur commendatio tropi ex duabus causis, necessitate & voluptate, illustratis similitudine, sumpta illa quidē ex 3. de Oratore, quo loco tamen accommodatur Metaphoræ. Ait enim: Tertius ille transferendi verbi modus late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta & angustiis, post autē delectatio celebravit. Ut. n. vestis frigoris depellendi gratia primó invēta, post adhiberi coepta est ad ornatū: ut gemmare vites, luxuriare herbas, lætari segetes. Idē Fab. initio feré c. 6. l. 8.

5. *Hæc igitur*] Concluditur Elocutionis & Tropi definitio: in quo admonemur servandum esse modum, & ejusdem usum depromendū ex optimis quibusq; auctoribus.

6. *Sed tamen verecundus*] Quod hîc generaliter de omni tropo, Cicero ad Brutum, de Metaphora præcipit.

7. *Quod si durior*] Triplex & generalis omnium Troporum appellatio sequitur ex triplici causa duritiæ, quæ κατὰ γενεῆς audacia: quæ ὑπερβολὴ superlatio: quæ ἀλλήλων nominatur.

8. *κατὰ γενεῆς*] Cicero in Orat. ad Brutum ex Aristotele translationi omnes tropos subjungit, ut abusionē, quam κατὰ γενεῆς vocant. Fab. 8. cap. 6. κατὰ γενεῆς (ait) non habentibus nomen suum accommodat, quod in propinquo est. Cicero veró 3. de Oratore ὑπερβολῶν, veritatis superlatio interpretatur: aliquando trajectionē minuendi augendive causa repertā, ut loquitur Cicero 3. de Orat.
sed

sed tamen inter figuras eā statuit, quē sequutus est Fabius lib. 9. cap. 2. quā rectē ipsi viderint. Dixi nunc ego quidem, augēdi minūendive causa cōparatam esse superlationem, unde pleriq; duas ejus species cōstituunt: una ad augendū, ad minūendum altera. Prioris hoc sit exemplum ex oratione pro domo: Quibus tanquā gradibus mihi videor in cœlū ascendisse, nō in patriam revertisse. Hic loquitur de suo in patriā reditu ab exilio. Et pro Cluentio: Quod portentū, dii immortales quod tantum monstrū in ullis locis, quod tam infestū scelus, atq; immane, aut unde natum esse dicamus. Virg. Eclog. 7.

Candidior cœnis, hedera formosior alba.

Posterioris autem, quæ fit minūendi causa: ut hoc ex 2. in Rullum: Syllanus ager à certissimis hominibus latissimē cōtinuatus, tantam habet invidiam, ut veri ac fortis trib. pleb. stridorem perferre non possit.

9. ἀλληγορία] Cic. Orat. perfectio ad Brutum. Cūm fluxerunt cōtinuæ translationes, alia planē fit oratio. Itaq; hoc genus appellant ἀλληγορίαν, nomine rectē, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Ubi Cicero, adversus Fabium lib. 8. cap. 6. eam facit speciem Metaphoræ. Quid M. Tullius intelligat Allegoriæ nomine ostendit 2. ad Atticum: Si erunt plura ad te scribenda, ἀλληγορίαις obscurabo. & aliquando eodem lib. vocat ænigmata. Ibidem Fabius adjungit, Ænigma esse Allegoriam obscuriorem: ut est illud poëtæ:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,

Tres pateat cœli spacium non amplius ulnas.

10. Sed in allegoria] Præceptum de vitanda in allegoriis inconsequentia, ut unde cœpta sit, eodem desinat. Sic Cic. pro Murena: Quo me tandem animo esse oportet propē jam ex magna jactatione terrā videntem, in eum cui video maximas Reipub. tempestates esse subeundas? pro Quirio: Ita fit, ut qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id agere cogar, cūm etiam telum adversarius nullum jecerit. Plautus multis locis allegoriam continuat, ut in Pœnulo:

Viam qui nescit qua de veniat ad mare,

Eum oportet amrem querere comitem sibi,

C

Ego malé loquendi vobis nescivi viam:
 Nunc vos mihi amnes estis, vos certum est sequi,
 Si bené dicetis, vestra ripa vos sequar.
 Si malé dicetis, vestro gradiar limite.
 Idem Aulularia, quo loco pauper Euclio recusat ditissi-
 mi hominis Megadori affinitatem:
 Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem divitē,
 Factiosum: me item esse hominem pauperum pauperrimum:
 Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit
 Te bovem esse, et me esse asellum ubi tecum conjunctus siem,
 Ubi onus nequeam ferre, pariter jaceam ego asinus in luto:
 Tu me bos magis haud aspicias, notus quasi nunquam siem,
 Et te utar iniquiore et me meus ordo irrideat:
 Neutrubi habeam stabile stabulum: si quid divortii suat,
 Asini me mordicus scindant, boves incurserint cornibus.
 Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boves transcendere.

CAP. 3. DE METONY-
 mia causæ.

*Troporum genera duo sunt. Primum est Me-
 tonymia et Ironia. Metonymia est tropus causæ
 ad effectum, subjecti ad adjunctum, vel contra.
 Metonymia causæ est efficientis, aut materiæ.
 Efficientis, ut cum inventor et author pro ipsis ef-
 fectis rebus usurpantur. Aeneid. 1.*

⁴ Tum Cererem corruptam undis ⁵ Cerea-
 liaque arma.

Expediunt — id est, fruges. Pro Marc.

⁶ Quos amisimus cives, eos ⁷ Martis vis percussit,
 non ira victoria. Martis, id est, praelij. Georg. 1.

Aut dulcis musti ⁸ Vulcano decoquit humorē.
 id est, igne. Terent. Eunuchus:

Sine Cerere & ⁹ Libero friget ¹⁰ Venus.

id est, sine cibo et vino, amor friget. ¹¹ Allegoria
 hic est. ¹² Vulcanum pro igne vulgò audivimus:

Ei va-

Et vario Marte pugnatum, eruditus est sermo: Et Venerem, quam coitum dixisse magis decet. Ita Liberum & Cererem pro vino & pane, licentius quam ut fori severitas ferat, ait Quintilianus lib. 8. cap. 6. Est præterea hic valde usitatum, imò (quia verbum deest) necessarium, scriptores pro scriptis operibus appellare. Sic Mart. 14. appellat Livium pro historia à Livio scripta.

¹³ Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non rotum bibliotheca capit.
Metonymia materia. Horat.

¹⁴ Non domus & fundus, non æris acervus
& auri,

Ægroto domini deducit corpore febres.

Hic æs & aurum pro nummis aneis & aureis usurpantur. 2. Leg. ¹⁵ AEs & ferrum duelli insignia sunt, non fani. Hic æs & ferrum pro ¹⁶ aneis & ferreis armis. Verr. 6. Cum essent triclinia strata, argentumq; expositum in adibus. Argentum significat hic argenteam suppellectilem.

A D C A P U T T E R T I U M .

Distributio Troporū in duas partes, quarum vtraque duos cōplectitur Tropos. Aristoteles, uti jam dicere incepimus, Metaphoræ nomine tropos omnes cōprehendit. M. Tullius eum nonnunquā sequitur: tamē Oratore ad Brutum, & libello de optimo genere Oratorū aliter sensit. sic enim illustrant (inquit) orationē quasi stellæ quædam, translata verba atq; immutata. Translata sunt, quæ per similitudinē ad alia reducuntur: mutata, in quib. pro verbo proprio subicitur aliud, quod idē significet. Quæ definitio posterior tropis omnib. convenit: prior autē Metaphoræ. Fab. lib. 8. c. 6. statuit duodecim troporum genera, μεταφορῶν, συνεκδοχῶν, μετανομιῶν, ἀνομομασίῶν, ὀνομαστροφίῶν, ἠγυῶν, ἀλλοιοῦσιν, μεταλήψιν, ἐπίθετον.

ἀλληγορίαν, αἰείφρασιν, ὑπερβαλόν, ὑπερβολῶ. Ubi novem, præter ἀλληγορίας speciem in ironia, tropi nō sunt, quia significatio non mutatur. Quod ita colligi & concludi potest.

In Antonomasia, onomatopœia, metalepsi, epitheto, & tot allegoriæ formis (præter ironiam) periphrasi, hyperbato, hyperbole, nulla significationis habetur mutatio: Ergo tropi non sunt. Quod autem sint quatuor tropi, sic concluditur.

Omnis mutatio propriæ significationis, ex causis ad facta, ex subjectis ad adjuncta: ex dissentaneis ad dissentanea, ex cōparatis ad comparata, ex toto ad partes, vel cōtrā, est Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche: Sed omnis tropus est ejusmodi propriæ significationis mutatio: Omnis itaq; trop⁹ in Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche: nec plures nec pauciores sunt. Itē illud: Omnis simplicis verbi significatio mutari tātūm potest argumentis simplicib. & primis: Sed argumenta hæc simplicia sunt, causæ, facta, subjecta, adjuncta, dissentanea, cōparata. Itaq; ad tropū faciendū ea satis sunt. At hīc brevitatis & doctrinæ magis p̄spiciæ gratia, troporū genera quatuor statuūtur: ut Metonymia quatuor notetur argumentis, causis, factis, subjectis, adjunctis. I. Metonymia est] Metonymiæ definitio ponitur initio, de qua M. Tullius Oratore perfecto. Hæc Rhetores ὑπαλλογῶ nomināt, quia quasi submutantur verba pro verbis. Metonymiā Grāmatici vocant, quia nomina transferuntur. Fab. c. 6. li. 8. Metonymiā tertii tropi genus facit, definitq; nominis pro nomine positionē, quæ definitio cōvenit & reliquis tropis. Deinde subjūgit, ejus vim totam in causis sitam esse: quod quidem tamen perpetuum nō est, quia non modō ex causa, sed ex facto etiā, subjecto, & adjuncto cōfici Metonymia potest: ut allata exempla ab eodē Fabio docent: Pallida mors, factū est pro causa: Bene moratę urbes, pro civibus subjectū est: sacrilegiū pro sacrilego, adjunctum. Et quia causa simplex est, & primū argumentum in arte Dialectica legitime descripta, ideo Metonymia hīc primas tenere debet. Quod si quis postremō roget, cur hīc duo genera

Tropo⁹

- Troporum statim assignentur, cum non minus commodum visum esset quatuor numerare: respondendum hanc per bina distributionem fieri, ut observetur *διχοτομία*, id est, sectio in duo, à Platone celebrata.
2. *Causse ad effectum*] Causa, est cujus vi aliquid est. Causarum quatuor genera prima, Materia, forma, efficiens, finis. Materia est causa, ex qua res est: Forma, quæ dat nomen & essentiam rei: Efficiens, per quam res est: Finis, cujus gratia aliquid est. Sed ex iis quatuor duæ hic locum habent, Materia & Efficiens.
3. *Efficientis*] Prima species Metonymiæ est in efficiente causa, ut claris exemplis ostenditur.
4. *Tum Cererem*] Ceres prima dicitur usum frumenti homines docuisse, ut molere & panem conficere, cum antea glande vescerentur. Diodorus Sicul. 6. Plin. 7.
5. *Cerealiaque arma expediunt*] Hic Æneas pulsus in Africam, suos fame confectos recreat.
6. *Quos amisimus*] Hic Cæsaris Julii clementia exprimitur, qui post victoriam nullum civem necari voluerit.
7. *Martis vis*] Hic armorum bellorumque inventor primus fuisse putatur veteribus. Diodor. lib. 6.
8. *Vulcano decoquit*] Vulcanus, ignis inventor eo modo fuisse fertur à Diodoro. Cum videret enim lapso fulmine sylvam ardere, materiã uberiorem adhibuit, ignisq; usum & voluptatem mortalib. ostendit. Cæterum hoc loco poëta docet, nocturna opera diurnis utiliora esse: quod tamen minimè probatur Plinio. Mustum autem est vinum decoctum ad consummationem partis dimidiæ: & defrutum duarum ternarum, docet idem Plinius l. 14. cap. 9. & lib. 23. cap. 2.
9. *Libero*] Diodor. 4. ait Bacchum vini repertorem fuisse: quod ipsum nos, antiquiorib. literis persuasi, tribuimus Noë.
10. *Venus*] Ea prima dicitur in Cypro artem meretriciam instituisse: unde pro amoris dea est habita. Mitto quæ præter cæteros ea de re collegit Polydorus Virg. lib. 3. c. 17. De invent. rerum. Hoc autem Comici loco ponuntur verba Chremetis rustici adolescētis, qui egressus à cœna ferè ebrius, formã Pyrrhæ ancillæ laudaverat, ideoque factus hilarior, proverbium hoc usurpat. Act. 4. scen. 5.

11. *Allegoria hinc est*] Quia nihil est aliud allegoria, quàm continuatus tropus, ut dictum est.
12. *Vulcanum pro igni*] Ratio delectus Metonymiæ ex Fabii Quintil. testimonio lib. 8. cap. 6.
13. *Pellibus exiguis*] Laus est Livii historici, ex effectis, qui libros de historia Romana centum quadraginta scripsit: & jocus in tanti scriptoris exilitatem. quò referemus historiam Æliani de Iliade Homericæ, quæ descripta membranulis, nuce posset abscondi.
14. *Non domus*] Horatius adhortatur ad studium sapientiæ 2. epist. lib. 1. idque facit per comparisonem, ad hunc modum: Si sapientia beatos homines reddit, avaritia verò minimè; illa est expetenda, hæc verò fugièda.
15. *Æs & ferrum*] Eo loci Cicero leges explicat duodecim Tabularum, quæ ad res sacras pertineret: & obiter vellicat avaritiam Pontificum.
16. *Pro aneis & ferreis armis*] Observamus è veterum illorum monumentis, Romanos ad tempora usque Pyrrhi tantum fuisse usos ære signato.

CAP. 4. DE METONYMIA
effecti.

*Metonymia effecti est, cum ex effectis efficiens significatur.*¹ Agr. 2. *Nolo suspensam & incertam plebem Romanam obscura spe, & ceca expectatione pendere. Spes obscura dicitur, quia reddit incertos sperantes: & expectatio cæca, quia cecos & ignaros expectantes reddit. Horat. 1. lib. Od. 14.*

² *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas*

Regumque turres, ô beate Sesti.

Pallidum propriè dicitur, quod pallefcit: sed in hoc exemplo pallida mors dicitur, quæ pallidum mortuum efficit. Item Æneid. 6.

³ *Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.*

⁴ *Sic Orator precipitem iram, hilarem adolescentem*

scientiam, segne otium dixit, ait ibidem Quintilianus. Imó veró hinc & oratorum, & poëtarum plurima epitheta sunt.

A D C A P U T Q U A R T U M.

Altera species Metonymiæ est effecti pro causa efficiente, quod docetur illustribus exemplis.

1. *Nolo suspensam*] Sermocinatio est Ciceronis, & Rullii: illius, qui agros in Italia emi sua lege jubebat, nec tamen definiebat: hujus veró, qui nominari agros volebat, ut videret populus quidem sua interesse. Cæterum hæc Metonymia Oratoribus familiaris non tam raro, quam poëtis est.

2. *Pallida mors*] Invitatur Sextius, vir consularis, ad voluptates, quia ver advenit, & omnibus moriendum sit; vel, ex adjuncta vitæ brevitate, & omnibus æqua moriendi necessitate.

3. *Pallentesq; habitant*] Ibi describitur inferorum aditus ex multis adjunctis.

4. *Sic orator*] M. Tullius dixit, præcipitem furorem, de Aruspicum responsis: & præcipitè senectutem, epistola ad Octavium, si tamen ea Ciceronis est: hilarem vitam, de Finibus 5. terræ cultum segniorem, 2. de Legibus. insolentem & superbam victoriam, pro Marcello.

C A P. 5. D E M E T O N Y -
mia subjecti.

Metonymia subjecti est, cum nomen proprium rei subjectæ ad significandam rem adjunctam traducitur: ¹ ut cum ponitur continens pro re contenta. Est veró metonymia hæc longè frequentissima, cum locus pro ipsis incolis usurpatur. A Eneid. 2.

² Invadunt urbem somno vinoq; sepultam.

3. *Catilinar. urbs pulcherrima, florentissima, potentissima. In Pisonem, ³ Quod in me carcerem effudistis, id est, qui in vinculis & carcere erant,*

» vel digni carcere. Pro Pompejo: ⁴ Testis est Italia,
 » quam ille ipse victor L. Sylla, hujus virtute & con-
 » filio confessus est fuisse liberatam: Testis est Sicilia,
 » quam multis undique vincitæ periculis, non ter-
 » rore belli, sed celeritate consilii explicavit: Testis est
 » Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam
 » iter, Gallorum internecione patefactum est: Testis
 » est Hispania, qua sapissimè plurimos hostes ab hoc
 » superatos prostratosque conspexit. Hic Cicero Ita-
liam, Siciliam, Galliam, Hispaniam posuit pro Ita-
lis, Siculis, Gallis, Hispanis. Aliter etiam locus ad
 res locatas traducitur. 1. de Orat. ⁵ Agé veró, ne
 semper forum, subsellia, rostra, curiamque medi-
 teris. id est, actiones Rhetoricas in foro, in subselliis,
 in rostris, in curia, qua allegoria est, ut rursus ibi-
 dem. ⁶ Quod quidem si erit á vobis impetratum,
 » magnam habebó, Crasse, huic palestra & Tuscu-
 » lano tuo gratiam, & longé Academiæ illi ac Ly-
 » cio tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.
 Hic enim per Academiam, Lycium, Tusculanum,
 intelligimus doctrinam celebratam in Academia
 á Platone, in Lycio ab Aristotele, in Tusculano á
 Cicerone. Ex hoc genere etiam est illud, cum ex
 possessore possessares intelligitur. Aeneid. 2.

— ⁷ Jam proximus ardet

Ucalegon — id est, Ucalegonis domus. In pro-
 sa longé frequentissimum est: Horat. Apud me
 » est, id est, domi mee. Cicero: Ego cum triduo cum
 » Pompejo, & apud Pompejum fuissém. Idem: Malo
 » tecum apud te ambulare, id est, domi tue. Sic dici-
 » mus hominem devorari, cujus patrimonium de-
voratur, ait Quintilianus. & sic Terent. Heant.
 Quid

Quid te futurū censes, quem assidue exedent?
 Sic ab Annibale^s caesa apud Cannas sexaginta mil-
 lia Romanorum dicimus, quia ab exercitu, cuius
 dux erat Annibal, caesa sunt. Sic litigantium clien-
 tum advocati personas suas pro clientum personis
 usurpant. Pro Cacin.⁹ Restituisse te dixi: nego me
 edicto Praetoris restitutum esse. Sic Cicero Pisonem
 advocatum partis adversae alloquitur, tanquam
 Ebutius id diceret Cacinna.

A D C A P U T Q V I N T U M.

Jam explicata est Metonymia duplex, ex causa &
 effectu: superest etiam duplex, ex subjecto & adju-
 cto. Est autem subjectum, cui aliquid adjungitur: ut a-
 nimus est subjectum scientiae aut ignorantiae, virtutis
 aut vitii: corpus autem subjectum magnitudinis aut
 parvitas. Adjunctum vero, est cui aliquid subicitur:
 ut bona & mala, sunt animi adjuncta: & corporis vale-
 tudo, aegritudo.

1. *Ut cum ponitur*] Duobus modis subjectum explica-
 tur: aut enim significat continentem vel locum, aut pos-
 sessorem: alii malunt usurpare nomen continentis pro
 contento, sed nihil interest.

2. *Invadunt urbem*] Trojani Graecos abiisse rati, atque
 equo in urbem immisso sacris & epulis operam dede-
 runt: quare dormientes & incauti oppressi sunt.

Urbs pulcherrima] ad finem Catilinae 2. Cicero po-
 pulum Romanum hortatur deos ut precetur, incolu-
 mem urbem Romanam servent, & a factione Catilina-
 riorum vindicent.

3. *Quod in me carcerem*] Objicitur Pisoni & Gabinio
 crudelitas in expellendo Cicerone.

4. *Testis est Italia*] Ad commendationem Pompeji, &
 imperii dignitatem, res ejus gestae commemorantur.
 Dignus enim putatur qui bello Mithridatico praeficia-
 tur: ex effectis per inductionem, quatuor generibus
 testium, quae petuntur a totidem nationibus.

5. *Age veró*] Crassi est adhortatio ad Cottam & Sulpitium adolescentes, ut in eloquentiam incumbant. Rostra, locus erat, quo populus convocabatur, sic dicta, vel quia ex rostris navium facta essent: aut quód suggestus, in quo concionabantur Oratores, cōfectus esset in formam rostrorum navium.

6. *Quod quidem si erit*] Verba hæc sunt Sulpitii adolescentis, quibus á Crasso conatur impetrare, ut de eloquentia pluribus differat.

7. *Jam proximus*] Descriptio excidii Trojani Iliad. Homeric. γ. Ucalegon sedens inducitur in Scæis portis, & pugnam spectans cū Priamo & Antenore: Verba hæc sunt poëtæ:

Οὐκ ἀλέγων τε καὶ Αντιλόωρ, πεπνυμένω ἄμφω.

Εἶατο δημῶν γέροντες ἐπὶ σκαίῃσι πύλῃσι.

Ego cum triduo] ex 5. epistol. ad Atticum 7.

Hominem devorari] Sic Penelope Ovidiana:

Viscera nostra tue diripiuntur opes.

Dialogo de claris Oratoribus Cicero dixit, hominum nuptias devorare.

8. *Cæse apud Cannas*] De bello Cannensi Livius lib. 2, tertix decadis.

9. *Restituissete*] Quod & hodie servatur á patronis & procuratoribus in magno principum comitatu, in senatorum subselliis, & judiciis publicis.

CAP. 6. DE METONY- mia adjuncti.

¹ *Metonymia adjuncti est, cū ex adjunctis res subjæta significantur.* Sic nomina virtutum ipsarum pro bonis viris, & vitiorū pro malis, & multarum aliarum rerum, pro personis, quib. adjunctæ sunt, usurpantur. 1. Verr. ³ *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno Prætoze per triennium pertulisse. Luxuries*

xuries pro luxurioso ponitur, crudelitas pro crudeli, avaritia pro avaro, superbia pro superbo. Et continuatio quatuor metonymiarum allegoriam facit. Sic signum pro re significata ponitur, ut pubes pro iuventute. Pro Mil. Cui omnem Italiae pubem. Sic adjunctum temporis pro subjectis. ⁴ O tempora, o mores: pro perditis temporum et male moratis civibus. 1. Catilin.

⁵ Aspera tum positis mitescent secula bellis.

1. Aeneid.

Ex hoc genere metonymie sunt illa ⁶ Ciceronis hyperbolica: O scelus! o labes! o audaciam incredibilem! et similia. Locus ille in Pisonem, insignem questionem ex intelligentia metonymie huius exprimit. ⁷ Non ulla tibi (inquit) invidia nocuit, sed versus tui. Nimis magna poena, te Consule, constituta est poeta sive malo, sive libero. ⁸ Scripsisti enim versus:

Cedant arma togæ. —

Quid tum? Hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod te Consule in sepulchro Reipub. incisum est. Velitis, jubeatis: ut non quod M. Cicero verum fecerit: sed ¹⁰ quod vindicarit. Veruntamen quoniam te ¹¹ non Aristarchum, sed ¹² Phalarim Grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verum, sed poetam armis persequare, scire cupio, quid tandem isto in versu reprehendas,

Cedant arma togæ.

Tuæ dicis (inquit) togæ summum imperatorem esse

„ *cessurum. Quid nunc te a sine, literas doceam? non*
 „ *opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam,*
 „ *qua sum amictus: nec arma, scutum & gladium*
 „ *hujus imperatoris: sed quod pacis est insigne, &*
 „ *otii, toga: contra autem arma, tumultus atque bel-*
 „ *li:¹³ more poetarum locutus, hoc intelligi volui: bel-*
 „ *lum ac tumultum paci atque otio concessurum.*
 „ *Quere ex familiarituo Græco illa poeta, probabit*
 „ *genus ipsum, & agnoscet: neque te nihil sapere mi-*
 „ *rabitur. Pro Marc. Uterq; tropus cum propriis*
 „ *verbis adjungitur. Semperq; mea consilia pacis &*
 „ *toga sociæ, non belli atque armorum fuerunt. Ali-*
 „ *quando in uno verbo metonymia duplex est. Pro*
 „ *Marcello. Victoriæ ferocitatem extimescere, pro*
 „ *ferocem victoriam, modus est quartus. Et ferocem*
 „ *victoriam, quæ faciat victorem ferocem, secundus*
 „ *modus est. ¹⁴ Ergo hæc metonymia ubertas est*
 „ *tam latis in caussarum, effectorum, subjectorum,*
 „ *adjunctorum campo sinibus propagata.*

AD CAPUT SEXTUM.

1. Postremo superest Metonymiæ species, cum adjunctum, id est, vel circumstantia, vel res possessa, res in loco posita, accidens, proprium, pro re subjecta ponitur.
2. *Nomina virtutum*] Id ex 3. de Oratore. Virtutes, ait, & vitia pro ipsis, in quibus insunt illa appellantur: ut luxuries pro luxurioso, &c. Huc refer integrum Ciceronis locum é 2. Catilin. ibi: Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitude, &c. ponuntur enim petulantia pro petulantibus: pudicitia pro pudicis: stuprum pro stupratoribus: & sic de cæteris. Occurrit & illud é Catone Majore:

Impor-

Importunitas & inhumanitas omni ætati molesta est: pro eo quod dixisset sine tropo, importuni & inhumani, &c. Item ad Attic. i. alacris exsultat improbitas in victoria. & paulo post: ut apertè victrix nequitia ac libido pœnas ab optimo quoq; peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei.

3. *Quas res luxuries*] Protopopœia est obliqua Siculo- rum, qui, cum Ciceronis opem implorarent cōtra Verrem, ejus flagitia in Sicilia admissa enumerarunt.

4. *O tempora, ô mores*] Initio primæ Catilinariæ, Cicero Consul indignatur, de conjurato Catilina nullum decerni supplicium.

5. *Asperatum positus*] Jupiter Venerem consolatur, eiq; prædicat Trojanos tandem in Italia quieturos.

6. *Ciceronis hyperbolica*] Qualia sunt oratione Sextiana, in Vatinius, in Pisonem, &c. Hyperbolen etiam pertinere ad omnes Tropos, ubi audacia est, supra diximus.

7. *Non ulla tibi*] Piso superbiam & insolentiam Cicero- ni objiciebat, tanquam plus in urbe togatus, quam in bello armati, posset. Et quidem propter rerum in cōsultatu præclarè gestarum ostentationem, Cicero in multorum invidiam incidit, sed præsertim hominum sceleratissimorum, ut Clodii, Pisonis, Gabinii & aliorum, ut memoriæ tradidit Plutarch. Hic verò refutatur Pisonis calumnia, Ciceronis versum per ignorantiam tropi reprehendentis velut arrogantia plenum, idque per explicationem duarū vocum, arma, & togæ, quæ pro armatis, & togato accipiuntur. Eadem versiculi sententia etiam ab eodem defensa est i. de Officiis, & 2. Philip.

8. *scripsisti enim*] De suo consulatu Cicero scripsit tres libros.

9. *Velitis jubeatis*] Verba tribunorum plebis à populo aliquid postulantium.

10. *Quod vindicavit*] Nempe quinque viris nobilibus, qui erant conjurationis principes, in carcere Tulliano gula fracta suffocatis, idque jussu Consulis Ciceronis, indictaque causa. Horum quinque nomina fuere, Lentulus, Cethegus, Gabinus, Statilius, Ceparius.

1. *Non Aristarchum*] Qui fuit Homericorum poëma-

tum censor & corrector: per synecdochien pro omni correctore usurpatur.

12. *Sed Phalarim*] Qui tyrannus fuit notissimæ crudelitatis, de quo Cic. 2. Offic. Val. Max. lib. 9. c. 2. inter exempla crudelitatis posuit. Ejus mortem idem breuiter lib. 3. cap. 3. memorat: & Diogen. Laërt. vita Zenonis Eleatis.

13. *More poetarum*] Imò etiam Oratorum, nisi quod fortasse tropi durities facilius in poeta toleretur. Id lingua nostra vernacula usitatum est, cum dicimus, *Homme de longue ou courte robe.*

14. *Ergo hec*] Concludit Metonymiæ quartum genus, ejusque commendatur utilitas.

CAP. 7. DE IRONIA.

¹ *Ironia est tropus à contrario ad contrarium.*

² *ἔῖπων cavillator, simulator, dissimulator, illusor, irrisor: sic εἰπωεῖα simulatio, dissimulatio, dissimulatio, illusio, irrisio dicitur. Hoc proprium est in hoc tropo nomen.* ³ *Valet autem tropus hic cum ad cetera omnia, tum in primis ad jocandum: in eoque genere Socratem Cicero author est 2. Orat. lepore & humanitate ceteris prestitisse: unde: & ipse εἰπων appellatus est, quod se imperitum fingeret, admirator aliorum tanquam sapientum.* ⁴ *Percepitur autem Ironia, vel rei, vel pronunciationis, vel utriusque dissensione. Nam si altera, vel utraque dissentit à verbis, apparet voci mentem esse contrariam. Genera Ironiæ (si qua sint) dissentiens dividuntur.*

Ironiæ libertas magna est in his formulis. Tevent. Eun.

Heus bone vir, curasti probé.

⁶ *Centurioni à pugna absentiam excusanti, quod*

quod in castris custodia causa remansisset: Non amo (dixit Africanus) nimium diligentes. Sic cum Lamia de formis interpellaret odiosè, Audiamus (inquit Crassus) pulchellum puerum. Cum esset arrisum: Non potui mihi (inquit Lamia) formam ipse fingere, ingenium potui. Tum hic, Audiamus (inquit Crassus) disertum. Multo etiam arrisum est vehementius. Generis hujus est illa simulatio: 7 Liberatus sum, Respiravi, Bene habet.

Sed eipoveia continuata, facit allegoriam gratiorum. In Clodium. 8 Integritas tua te servavit (mihi crede) pudor eripuit, vita antea acta servavit. Ver. 3. 2 Dum est unde jus civile discatur, adolescentes ei in disciplinam tradite: mirum est hominis ingenium, mira prudentia. Aeneid. 4.

10 Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis

Tuque puerque tuus, magnum & memorabile numen,

Una dolo divum si femina victa duorum est. Hic & rei & vocis, si oratio bene proferatur, diffusio manifesta est.

Est & Ironia que & sic dicitur preteritio quibusdam dicitur, ut in his formulis preterea mitto: Pro Pomp. 11 Sinite hoc loco, Quirites, (sicuti poeta solent, quires Romanas scribunt) preterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli, non e prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferret. 8. Aeneid.

12 Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni

Effera? — Et 10. *Aneid.*

» Quid repetam exultas Erycino in littore
classes?

» Quid tempestatū regem, ventosq; furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus irim?

» *Pro Cluen.* ¹⁴ Mitto illam primam libidinis in-
» juriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupi-
» ditate matris expulsam matrimonio filiam, &c.
» Nihil de alteris Oppianici nuptiis queror. Prater-
» eo quod eam sibi domum sedemque delegit, in qua
» quotidie superioris viri mortis indicia, & spolia
» fortunarum videret. ¹⁵ Ironia denique est, que
» ἰροπασίς negatio dicitur. Non agam tecum jure
» summo: non dicam quod fortasse obtinerem. *Verr.*
» 1. ¹⁶ Nec ea dico, que si dicam, tamen infirmare
» non possis, &c. Sunt hæc & alia in te falsi accusato-
» ris signa per multa, quibus ego nunc non utor. Hic,
» Nec ea dico, Non utor, ἰροπασίς similem habent.

AD CAPUT SEPTIMUM
de Ironia.

i. Ironia definitur ex dissentanco: idque illustratur e-
tymologia, & interpretatione Latina. Aristoteles Rhe-
torica ad Alexandrum, ironiam tum simulandi, tum
dissimulandi cavillationem vocat, cum aliud dicimus,
aliud nos dicere simulamus: ejusque viderur duas spe-
cies efficere, unam affirmantem, negantem alteram,
ut species etiam oppositorum distingui possunt, & re-
ctè illud quidem. Cicero verò in Bruto. & 2. de Orato-
re, Ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua
ille in Platonis, Xenophontis, Æschinis libris utitur,
facetam & elegantē putat. Sed idem 3. de Oratore inter
figuras eā numerat. Hæc (ait) maximè irrepit in men-
tes alia dicentis, alia significantis dissimulatio, quæ est
per-

perjucunda, cum in oratione, non contentione, sed sermone tractatur. Fabius vero cap. ultimo lib. 8. Ironiam ait illusionem, quæ aut pronunciatione, aut persona, aut rei natura intelligitur. Ubi idem auctor eam speciem facit allegoriæ, quanvis affirmet allegoriã esse metaphoram continuatam, & metaphoram esse tantum brevem similitudinem: dicatq; lib. 9. cap. 2. Ironiam versari duntaxat in dissentaneis, tamẽ eodem loco eam cum Concessione & Permissione conjunctam inter figuras sententiæ ponit: non recte profecto. quia si assentiamur Ciceroni & eidem Fabio, Tropus, est singulorum verborum, figura conjunctorum: & quanvis Ironia continetur, non est Tropus tamen diversus.

2. *Ἐἰρων, cavillator*] Sic Cic. 2. Academ. quæstionum, Socrates aliud dicebat, aliud sentiebat, & ita libenter utebatur ea dissimulatione: quam Græci *εἰρωνείαν* vocant. Secundo de Orat. Sanẽ ferunt Socratem in hac Ironia dissimulantiaque longẽ lepore, atq; humanitate omnibus præstitisse. Itemq; 1. de Offic. De Græcis dulcem & facetum, festiviq; sermonis, atque in omni oratione simulatorem, quem *εἰρωνία* Græci nominaverunt, Socratem accepimus. Sed observamus interdum Ironiam fieri sine adversarii irrisione, sed quadam tantum dissimulatione. Interdum enim quæ sunt in nobis bona dissimulamus, modestiæ gratia.

3. *Valet autem*] Utilitas Ironiæ, exemplo Socratis commendatur.

4. *Percipitur autem*] Causæ duæ quibus Ironia percipitur: de iis etiam Quintil. 8. cap. 6.

5. *Dissentaneis dividuntur*] Contraria, opposita sunt, quorum unum uni tantum opponitur. Sunt autem aut negantia, aut affirmantia, quorum utrunque affirmat, ut relata & adversa: Relata sunt contraria affirmantia, quorum alterum constat e mutua alterius affectione: ut pater & filius. Adversa autem, quæ inter se veluti e regione perpetuo adversantur: ut virtus & vitium.

6. *Centurioni a pugna*] Hæc mutuatur auctor noster e 2. de Oratore, ubi de jocis multa Cicero præcipit.

7. *Liberatus sum*] Id ex Miloniana.

D

8. *Integritas tua*] Verba sunt M. Tullii, Clodium a iudicibus corruptis absolutum conquerentis ironicòs.

9. *Dum unde est*] Verris inertia reprehenditur, qui contra jus & æquum in Sicilia iudicatum exercuerit.

10. *Egregiam verò*] Juno Venerem ironicè reprehendit, quòd Cupidinis operâ Didonem vehementi amore inflammavit.

Est & Ironia] Altera species Ironia, quæ fit per *παράλειψιν* seu præteritionem. Auctor ad Herennium Occupationem appellat, cum dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus: hoc modo: Nam de pueritia quidè tua, quam tu omni intemperantiæ addixisti, dicerem, si hoc tempus idoneum putarem: nunc consultò relinquo. Cic. 3. de Oratore: Stoicos quos minimè improbo, dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omninò irasci nesciunt.

11. *Sinite hoc loco*] Locus est ex Oratione pro lege Manilia, de Imperatore Lucullo, qui cum esset adversus Mithridatem missus, non victoriam, sed insignia victoriæ retulit. Hæc autem propriè dicuntur ad augendam Pompei laudem, ut qui dignior haberi debeat, cui omnis illa gerendi belli provincia demandanda sit.

12. *Quid memorem*] Hæc dicuntur de crudelitate Mezentii regis Etruriæ, qui nudis cadaveribus viventes captivos & nudos allegatos diutino cruciatu enecabat.

13. *Quid repetam*] Oratio Veneris ad Jovem, de Junonis in Trojanos odio implacabili.

14. *Mitto illam*] Hæc contra Sassiã, A. Cluentii matrem dicuntur, quæ filio Oppianico nupserat, itemque suo genero Melino.

15. *Ironia denique*] Fab. 9. cap. 2. *ἀπὸ φωνῆς* a negando dictam, ponit in numero figurarum sententiæ, quia est continuata Ironia inquit. Sed hac parte non habemus fidem Quintiliano, nam continuatio rei naturam non mutat. Deinde Aristoteles 2. de arte dicendi ad Alexandr. nobiscum facit, cap. nimirum 22. Sed vide etiam quàm sibi constet Fabius ipse lib. 8. cap. ult.

16. *Nec ea dico*] Dicuntur hæc contra Cæcilium prævaricatorè, qui Verrem accusare se fingebat, cuius erat
amicus

amicus. Cum exemplis iis & ea conjungo, quæ mihi commentanti occurrunt: ut ex actione in Vatinium: Atque illud tenebrosissimum tempus incuntis ætatis tuæ patiar latere, licet impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. pro S. Roscio: Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi fortè expectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de ejusmodi rebus commentitiis objecit. Pro Pompejo: Multa prætereo cōsultò, sed ea vos conjectura perspicitis, &c.

CAP. 8. DE METAPHORA.

¹ Tropi primum genus adhuc fuit in metonymia & ironia: secundum sequitur in metaphora & synecdoche. Metaphora est, quando ex simili significatur simile. Itaque metaphora est ad unum verbum contracta similitudo. ² Tropus autem nullus est florentior quàm metaphora, nec qui plus luminis afferat orationi: præsertim si ratione sumpta est, & ad sensus ipsos adinvenitur, ³ maximè oculorum qui est sensus acerrimus. Nam & odor urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, sunt ducta à cæteris sensibus. Illa verò oculorum multo acriora quæ ponunt penè in conspectu animi quæ cernere & videre non possimus. ⁴ Sed hæc omnia pleniorib. exemplis melius intelligentur. Nihil est autem in rerum natura unde simile duci non possit: indidemq; ideo & metaphora. Pro Sexto. ⁵ Cujus ego patrem, Deum atque parentem statuo fortunæ nominisq; mei. Hic tanquam Deum & parentem intelligis. 1. Tuscul. ⁶ Honos alit artes, omnesq; incenduntur ad studia, gloria. Aeneid. 4.

⁷ Spem fronte sereniatur.

Item:

D ij

Magnoque irarum⁸ fluctuat æstu.

2. Orat. ⁹ Ut sementem feceris, ita metes. In

Brut. ¹⁰ Latrant quidam oratores, nō loquuntur.

In Pisonem, cūm de Epicureo voluptatis magistro

agitur, ¹¹ Ad illius hanc orationem adhinuit.

¹² Hyperbole verò & allegoria in metaphoris

præcipuam laudem obtinent: & hîc ¹³ vulgò etiam

præcipuè collocantur. Atque ex hyperbolica me-

taphora oritur mira sublimitas orationis, cūm re-

bus inanimatis actū quendam & animos damus,

ut Arist. II. cap. 3. Rhet. admonuit: deinde Quin-

til. lib. 8. cap. 6. Æneid. 1.

¹⁴ —geminique minantur

In cælum scopuli. — Item Æn. 8.

¹⁵ —Pontem indignatus Araxes.

Pro Marcel. Parietes, medius fidius, C. Cesar,

ut mihi videntur, hujus curiæ tibi gratias agere

gestiunt.

¹⁶ Allegoria multo sunt hîc illustrissimæ: Philip.

4. Virtus est una altissimis defixa radicibus, que

nunquam vi labefactari potest, nunquam dimo-

veri loco. 3. Catil. ¹⁷ Memoria vestra, Quirites,

nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarum

monimentis inveterascent, & corroborabuntur.

Ver. 4. ¹⁸ Ipse inflammatus scelere, venit in forum:

ardebant oculi, totoq; ex ore crudelitas emicabat.

Hor. 1. od.

¹⁹ O navis, referent in mare te novi

Fluctus: ó quid agis? fortiter occupa

Portum —

De Orat. Quare ²⁰ Coracem istum vestrum

patiamur nos quidem pullos suos excludere é nido,

qui

qui evolent clamatores odiosi ac molesti. In Pis. 21 “
 Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbi- “
 nibus ac fluctibus Reipub. navem gubernassem, “
 salvamq; in portu collocassem, frontis tuæ nubecu- “
 lam, aut collegæ tui contaminatum spiritum perti- “
 mescerem. Alios ego vidi ventos, alias prospexi a- “
 nimo procellas: alius impendentibus periculis non “
 cessi: sed unum me pro omniū salute obtuli. Fron- “
 tis nubeculam, & contaminatum spiritum, hyper- “
 bolicam elationem habent.

AD CAP. 8. DE ME-
 taphora.

1. Pergit ad alias duas species primi generis tropo-
 rum, quæ sunt Metaphora, Synecdoche. Metaphora de-
 finitur ex loco inventionis Dialecticæ, à comparatione
 similium. Aristoteles quidem omnes tropos subjecit
 Metaphoræ: sed idem tamen 3. de Arte dicendi, & lib. de
 poëtica, hanc Metaphoram speciem vocat secundū pro-
 portionem: aitque bene transferre, esse spectare simile.
 Cicero autem quanquam in oratore ad Brutum, Meta-
 phoræ nomine tropos comprehendat, tamen multis a-
 liis locis testatur nullam esse Metaphoram sine simili-
 tudine, ut 3. de Oratore: Similitudinis, inquit, est ad v-
 num verbum contracta brevitatis Metaphora. & de opti-
 mo genere Oratorum: In translatis, similitudinem se-
 cuti verecundè utamur alienis. itemq; Orat. perfecto:
 Translata ea dico, quæ per similitudinem transferun-
 tur ab alia re, aut suavitatis, aut inopiæ causa. Fabius
 denique lib. 8. cap. 6. Nihil aliud esse Metaphoram scri-
 bit, quàm brevem similitudinem.

2. Tropus autem] Commendatur Metaphora ex effectis
 & adjunctis: præceptumq; de rectè transferendo poni-
 tur quod sit accommodatum sensibus, maximeq; oculis.
 Id sumtū est ex 3. de Oratore. Cæterum observo ab eru-
 ditis hominibus duas Metaphoræ species in primis no-

tari, unam audacem, & longé petitam: ut Reipub. tempestas, patriæ vel urbis sentina, concionum fluctus: qua utitur Orator in sublimi dicendi caractere: neque veró decet eam cadere in tenue & humile genus aliquod. Altera familiaris est, & é proximo ducta: ut cum dicimus ardere, pro vehementer cupere: rem tenere, pro intelligere: videre, pro cognoscere; & alia sexcenta, quæ passim notari possunt in Cicerone.

3. *Maximéque oculorum*] Horat. in Arte sic:
*Segnius irritant animos demissa per aurem,
 Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
 Ipse sibi tradit spectator.*

4. *Sed hæc omnia*] Quanquam Fabius existimet á quatuor rerum generibus Metaphoram duci tantúm posse, Cicero tamen 3. de Oratore, infinita genera esse putat: nihilq; esse in rerum natura, unde duci Metaphoræ non possint. Hic tamen ad vitandã doctrinæ perturbationẽ, & infinitatem rerũ, quæ arte concludi non possunt, certa quædam genera Metaphoræ illustriora exponuntur, eaq; sic secerni ac distingui cõmodé possunt, á rebus divinis & cœlestibus, aut ab elemētariis, & iis quæ elementis cõtinentur. Vel ita facilius: primũ genus á Deo: alterum ab igni: terciũ ab aëre: quartũ ab aqua: quintum á terra: sextum ab animalibus ratione carentibus.

5. *Cujus ego*] Laus Lentuli, qui Consul M. Tullium ab exilio revocavit, & idcirco Deus appellatur, ut Oratione post reditum ad Quirites. Idem tropus ex Virgilio est omnibus obvius:

*O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit:
 Nanque erit ille mihi semper Deus.*

Cic. 1. de Orat. Non caussidicum nescio quem, sed eum virum, qui primũ sit ejus artis antistes, cujus cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse Deus putatur, &c. Idem 2. ejusd. operis: *Quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper Deus videri soles? Vide quàm sis, inquit, in isto genere Deus.* Idemq; ibid. divinitatem Oratoris pro excellēti quadam facultate ponit: & divinitatem in caussis dicendis pro eloquentia quadam singulari. Apud Platonem in Menone, Socra-

Socrates ait Laconum fuisse morem, ut quoties, insignem aliquem hominem admirarentur, dicerent eum esse divinum virum: *ἦν δ' αἰσπῶν δ'.* Et Fabius virum laudatissimum, vulgo mortalem Deum appellari solitum ait. Cum iis exemplis conjungo & alia, quæ ducuntur ab igni: nã ea insignia sunt & illustria, ut est illud *é* Catilin. i. Invidiæ incendio conflagrare, & i. Tuscul. Omnes incenduntur ad studia gloriæ. sic pro domo: In quos propter eorum crudelitatem, mentes nostræ inflammatae fuerunt. 3. Tuscul. Natura nobis parvos dedit igniculos. 3. de Orat. Qui in eadem invidia flamma fuisset. Saepè item apud Virgil. is modus observatur: ut *Écloga 2. Metamen urit Amor. & Æneid. 4. Agnosco veteris vestigia flammæ. item: Incenditque animum dictis. & , Ardet abire fuga. In 6. Juvenum manus emicat ardens. sic, Ardens evexit ad æthera virtus. Ovid. epist. Paridis: quis enim celaverit ignem, Lumine qui semper proditur ipse suo? Sic apud Terent. Parmeno ad Phædriam adolescentem, amore captum Thaidis: accede ad hunc ignem, calefces plus satis.*

6. *Honos alit artes*] Notum exemplum ex prima Tuscul. cui adjungo illud *é* 2. de Orat. Si cum ego hunc Oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso vestiendum & ornandum. Tum Crassus: Tu verò, inquit, Antoni, perge ut instituisti, neque enim boni est, neque liberalis parentis, quæ procreavit & eduxerit, eum non & vestire, & ornare.

7. *Spem fronte serenat*] Ex aëre translatio. aër enim propriè serenus dicitur. ut i. *Æneid.* Cælum tempestatesq; serenat. Hic autè *spem fronte serenat* Dido, quæ se non amare simularet Æneam abire jam cogitantem. Cum his addo quæ à fulmine petuntur. ut pro Cornelio Balbo: Cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania Cn. & P. Scipiones occident. quo sensu dixit Virgil. in 6.

— *duo fulmina belli.*

Scipiadas. — Fulmen propriè in aëre est: at per similitudinem ad Scipiones translatum est istud verbum, quod hostes armis instar fulminis perterruerint.

8. *Fluctuat*] Ab aqua, quæ dum intumescit, dicitur æstuare & fluctuare. Hoc itè de Didone, quæ magna ira

cundia ducebatur propter Æneæ discessum. Eiusmodi verba hæc metaphoricôs accipiuntur nō infrequenter, flumen, fons, rivus, & fluere, manare, haurire, exhaurire. Cic. 2. de Orat. Flumen grauiſſimorū & optimorū verborū. pro Murena: Cūm tui fontes vel inimicis tuis pateāt, nostros rivulos etiā amicis putes clausos esse oportere. Idem in Tusc. Plato aureū flumen eloquentiæ. & 1. Offic. In rebus prosperis & ad nostrā voluntatē fluentibus. item illud ex 11. Antoniana: Quem gurgitem, quā voraginem? quid eum non absorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinē nō bibere cēsetis? & hoc ex 2. de Orat. Tardi est ingenii rivulos cōsecrari, fontes rerum non videre etiam ætatis est, ususq; nostri, à capite quod velimus arcessere, & unde omnia manāt, videre. Porrō in Cæliana, hæc illustris Metaphora: Vidi, & illum hausi dolorem vel acerbissimum in vita.

9. *Ut sementem feceris*] A terra ducitur hæc multiplex Metaphora, quæ allegoriam facit. Similis est Plautina hæc: Acerbum est pro benefactis cūm malam messem metas. Et optimus dicendi artifex Cic. 1. ad Atticū: Ego omnes meas vindemiolas eō reservo, ut illud subsidium senectuti parem. Idem in 9. In agro Sabino sementem fieri proscriptionis.

10. *Latrant quidam*] A canibus Metaphora, qua Cicero utitur in Bruto. Sic. 2. de Orat. Catullus rogatus à Philippo quid latraret, furem se videre respondit. Citatur illud ex Ennio: animusque in pectore latrat. & Martialis in Zoilum:

Adlatres licet invidens & usque,

Et gannitibus improbis laceſſas.

11. *Ad illius*] Propria singulorum animalium adjuncta quædā sunt, quibus metaphoricôs uti licet: ut grunire homo dicitur, quod tamen porcorū proprium est: mugire, quod ad boves: rudere, ad asinos: balare, ad oves. quem tropū Rhetores Onomatopœiam vocant. Sed id ab avibus occurrit pro Flacco: Homo volitās gloriæ cupiditate. & 2. de Orat. Seculis multis antē gymnasia inventa sunt, quām in his Philosophi garrire cœperunt. A vulpe, ut Terent. Quid ille gannit? Ab apibus, pro P. Syl-
la: No-

la: Noli aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. A serpentibus, ut i. Antoniana: Nā cūm serperet in urbe infinitū malum. A lupis, Æneid. 4. — *penitusque caræ plangorib. ædes Fæmineis ululant* —. Sunt & insignes ac magnificæ Metaphoræ (de iis enim alio quodā loco quidpiā dicere nō habeo) quæ a rebus animæ carentib. ad res animatas transferuntur. ut pro Cælio: Videor mihi jecisse fundamenta defensionis meæ, quæ firmissima sunt, si nitantur iudicio suorū. allegoria est ab ædificiis. Eadē penē est pro Murena: Bene habet, jacta sunt fundamenta defensionis. pro Plancio sic: Quam nolui janua ingressus sum in caussam. & Terent. Quam fenestrā ad nequitia patefeceris. pro S. Roscio, Domus officina nequitia, diversoriū flagitiorum omniū. Cic. 3. Catil. Dum memoria cōsulatus mei vestris erit infixata mentibus, firmissimo me muro septū esse arbitror. Sunt & illæ evidentes, ut Tuscul. Non solū ramos amputare miseriarum, sed radicū fibras evellere. pro Sextio: Non sum tā insolens in dicendo, ut ex omni genere orationem aucuper, & omnes undique flosculos carpam. Venusta sunt etiam rerum humanarū vocabula, cūm tribuuntur rebus inanimatis. Virg. 4. Ecloga:

Nec varios discet mentiri lana coloris, Æn. 4.

— *suadentque cadentia lumina somnos.* Et,

— *vocat jam carbasus auras.* Usitata etiam sunt quæ

ducuntur ab hominum artibus, ut formare, limare, polire, pingere, tangere, sarcire, texere, unde sumuntur suaves admodum & lepidæ translationes: ut veritatem limare in disputando, usuram temporis officio sarcire, orationem polire, &c.

12. *Hyperbole veró*] Quanquam Hyperbole & Allegoria pertineāt ad omnes tropos, siue audaciores, siue continuatos; uti paulo antē dictū est, tamen potissimum in Metaphora reperiuntur: nec mirum quidem. nam Metaphora cæteris tropis frequentior est & illustrior.

13. *Hic vulgó etiam*] Ut a M. Tullio in Orat. ad Brutum, & Fabio 8. cap. 6.

14. *Geminiq; minantur.*] Hoc dicitur a poëta in descriptione portus, ad quem, sedata tempestate, Trojani ap-

pulerunt. significat autem in eo portu ad littus Africanum maris, fuisse duos scopulos ita editos, ut cœlum tangere viderentur. Virgil. alibi sic: *Qui candore nives antereant, cursibus auras.* Et 2. Antoniana Cic. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse.

15. *Pontem indignatus Araxes*] Araxes Armeniæ fluvius superstructum ab Alexandro magno pontem sua inundatione dicitur evertisse, quem postea Augustus instaurari iussit. Id autè à Virgilio dicitur, aut prædicitur potius, in superscriptione clypei Æneæ.

16. *Allegoria multo hîc sunt*] Allegoria fit non modò Metaphora, sed & omnib. aliis troporum generibus continuatis. Sed quia nullū genus troporum Metaphora floridius aut frequentius fit, idcirco pleriq; censuerunt Allegoriæ nomine continuatā Metaphoram esse intelligendam. Cic. 1. de Orat. utitur insigni allegoria. Nā qui locus, inquit, quietis & tranquillitatis plenus fore videbatur, in eo maximæ molestiarum & turbulentissimæ tempestates extiterunt. Eodem lib. de Oratore: Illa verò deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quin quæremes autè aut etiam majores gubernare didicisse. Idem in secundo: Sed defessus jam labore atq; itinere disputationis meæ, requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diverforio. Aliquantò post, ubi de dispositione forensis orationis: Quid? illud quod suprà dixi, solere me cedere, & ut planius dicam, fugere ea etiam quæ valde causam meam premerent, cūm id non faciunt alii, versanturq; in hostium castris, ac sua præsidia dimittunt, mediocriter ne causis nocent, cūm aut adversariorum adjumenta confirmant, aut ea quæ sanare nequeunt, exulcerant. In 3. etiam (præter alios locos longè multos) ubi in leguleios quosdā & imperitos adolescentes invehit, sine omni omnino doctrina & experientia summos Reip. honores magno ambitu capeffentes: Nunc plerique ad honores adipiscendos, & ad Rempub. gerendā nudi veniunt atq; inermes, nulla cognitione rerū, nulla scientia ornati. Sexcentos locos possum ex eodē petere: sed è multis

multis paucos deligo. Sic ad Attic. 2. epist. 20. significat *επιμαρτυρίας* obscuraturū, si plura ad eum scripturus sit. Nunc quidē (inquit) novo morbo civitas moritur. &c. Item epist. proximē sequenti iracundiam atq; intemperantiā eorū sumus experti, qui Catoni irati omnia perdidērunt: sed ita lenibus uti videbātur venenis, ut posse videremur sine dolore interire. Et lib. 4. epist. 2. elegans est hęc allegoria: qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, ut spero, jam renascuntur. Illa verō gravis & satyrica allegoria pro Sestio, ubi vehementissimē Clodium exagitat: hęc tetrā, immanemq; beluam vinctam auspiciis, alligatā more majorum, cōstrictam legum sacrarū catenis, soluit subitō consul, &c. Terentius Phormione: Hisce ego dictis illam tibi tam incensam dabo, ut ne extinguas lacrymis, si totus extillaveris. Hic minatur Phormio, se ita incensurum ira uxorem Chremetis Naufistratā, ut ā marito ne lacrymis quidem ac fletu ea ira cohiberi queat. Idē pro Cælio: Totum genus oppugnationis hujus, iudices, jā perspicitis animis, & cū inferetur, propulsare debebitis. Non enim ab eisdem accusatur, ā quib. oppugnatur Cælius: palām in eū tela jaciuntur, clam subministrantur. Idē ead. Sed quoniam emeruisse jam ē vadis, & scopulos prætervecta videatur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostēditur. At inter allegorias quā plurimas ea perplacet gravissimis ornata verbis & sententiis, quæ legitur oratione pro Rabirio perduellionis reo: quo loco reprehendit acerrimē Labienum, quod imaginē Saturnini protulisset in concione, cū antē damnatus esset Titius eadem causa, & Decianus de ejusdē Saturnini morte questus. Hęc itaq; verba Ciceronis: Mihi mirum videtur, unde hanc imaginem, quam habes, inveneris. Nam Sex. Titio damnato, qui istam haberet, inventus est nemo. Quod si tu audisses, aut si per ætatem scire potuisses, nunquam profectō istam imaginem, quæ domi posita, pestem atque exilium Sex. Titio attulisset, in rostra atq; in concionem attulisses: nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres.

17. *Memoria vestra*] Hæc de rebus gestis in consulatu Cicero dicit, cuius memoriam fore perpetuam auguratur ob restinctam Catilinæ conjurationem.

18. *Ipsè inflammatus*] Id de Verre, cuius furor & audacia describitur. Plerique hoc exemplum referunt ad *ὑποπόπτιν*, qua rem oculis subjicimus, sed hæc figura nō est, sed species quædam definitionis popularis.

19. *Onavis referent.*] Oda 14. lib. 1. Carminum, Horatius Bruto dissuadet, ne ulterius bellum in Octavium & alios principes movere velit, ablata jam omni spe atque occasione rerum melius gerendarum. Addatur & illud é Georgic.

Sed nos immensum spaciis confecimus equor,

Et jam tempus equum spumantia solvere colla.

Sed & adagia ferè sunt allegorica: ut, Aquila non capit muscas: Asinus stramenta mavult quàm aurum: Similes habent labra lactucas.

20. *Coracem istum.*] Cic. libro de Orat. 3. sub Antonii persona Coracem, primum Rhetoricæ doctrinæ professorem, acriter ridet: eiusque artem omnem pro nihilo esse ducendam vult. Locum hunc mutuatus est ex 3. de Oratore: Sic enim Crassus apud eundem: Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui evolent, clamatores odiosi & molesti, Pamphilumque nescio què sinamus in insulis tantam rem tanquam pueriles aliquas delicias depingere. De hoc Corace, ut etiam Tisia, 2. de Inventione, & in Bruto, longè plura.

21. *Neque tam fui.*] Piso Ciceroni objiciebat, eum cecidisse urbe, metu impendentis periculi. Contrà respondet M. Tullius, in exsilium abiisse, ne armis confingeret, exemplo Metelli, & ne, quam servarat, patriam perderet: nec verò aliquam sibi fuisse metuendi Pisonis occasionem. Occurrit ultrò illud é 4. epistol. ad Atticum: Amisimus, mi Pomponi, non omnè modò succum ac sanguinem, sed etiam colorem & speciem civitatis. Et ex libro 6. ad eund. Appius cùm *ἐξ αἰφραπέσεως* provinciam curarit, sanguinem miseræ, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit eneclam.

QUÆ

QUAE VITIA IN METAP-
phora vitanda sint.

Tertio de Oratore Cicero sex vitia in Metaphora esse vitanda docet. Primum quidem videndum ait, ne sit dissimilis: ut si quis diceret cœli fornices, pro sphaera. Alterum, ne sit petita longius: ut Syrtes patrimonii, pro gurgite. Tertium, ne sit deformis, ut hæc, Castratam Rempub. morte Africani: & Curiaæ stercus. Quartum, ne major sit: ut cùm dicitur tempestas comestationis, ut, remi regnant, ut illud Horatii de scurra seu parasito,

Pernicies & tempestas barathrumque macelli.

quod tamen eo loco non sine gratia dicitur.

Quintum, ne minor sit: ut verruca, pro monte. Sextum, ne durior: ut amputare Rempublicam, nervi mentium, verba sputatilica.

C A P. 9. D E S Y N E C D O-
che membri.

Metaphora igitur ejusmodi fuit: superest synecdoche, cùm ex parte totum aut contrâ significatur. Pars autem est membrum vel species. ¹ Synecdoche membri est, quando ex membro integrum significatur. Philip. 2. ² O tecta ipsa misera, quàm dispari domino (quanquam quomodo iste dominus) sed tamen quàm à dispari domino tenebantur! Virgil. Æneid. 1.

³ Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum.

Prosa mucronem pro gladio, & tectum pro domo recipiet: non autem puppim pro navi, nec abitem pro tabellis, ait Quintilian. lib. 8. cap. 6. ⁴ Allegoria quadam hic est. Catil. 1. ⁵ Nullo modo posse iisdem parietibus tutò esse tecum qui in magno periculo essem, quòd iisdem mœnibus continere,

» mur. Hic parietes pro domo, moenia pro urbe intel-
 » ligis. Multorum te oculi & aures non sentientem,
 » sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custo-
 » dient. 1. Catil. hic oculi & aures, pro oculatis &
 » auritis hominibus.

AD CAP. 9. DE SYNECDOCHE.

Postrema species tropi est Synecdoche, quæ defini-
 tur ex duobus inventionis Dialecticæ argumentis, caus-
 sis & effectis: nec tamen definitio cadit in Metonymiã
 duplicem primi generis, quia hinc totum parteque spe-
 ctantur. Partes autem & species quoniam constituunt
 totum & genus, habentur causæ efficientes. Totum
 verò & genus, quoniam composita & facta sunt à par-
 tibus & formis, putantur hinc tanquam effecta. Cæterum
 Fabius lib. 8. cap. 6. Synecdochen secundum tropi ge-
 nus facit, ejusque multa genera statuit, cum numerus
 pro numero, totum pro parte, genus pro specie, antece-
 dentia pro consequentibus, & contra sumuntur: quo-
 rum tamen ultimum non ad Rhetoricam, sed Dialecti-
 cam pertinet. Præstò sit exemplum citatum ab eodem
 Fab. è 2. Ecl. Virgiliana,

Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci.

Argumentum est ab adjunctis, quo siue meridiès, siue
 nox accedere intelligitur. reliqua autem uno genere di-
 visionis continentur. Nã species pars est generis, & ge-
 nus, totum speciei: & pluralis numerus cum singulari cõ-
 paratus, totum est aliquod parti collatum Idem Fabius
 lib. 9. cap. 3. Synecdochen figuram facit. Quæ figuræ per
 distractionem fiunt (ait) quarum una est Synecdoche,
 cum subtractum unum verbum aliquod ex cæteris sa-
 tis intelligitur, ut Eclog. 3. *Novimus & quite transversa
 tuentibus hircis*, intellige, viderunt. Hæc autem loquendi
 forma est ellipsis syntaxeos Grammaticæ. At M. Tul-
 lius Aristotelem sequutus 3. de Orat. subicit Metapho-
 ræ Synecdochen. Sunt, inquit, flantima illa minus or-
 nata, sed tamen non ignoranda: ut cum intelligimus ex
 parte totum, ut pro ædificiis, cum parietes, aut tecta di-
 cimus:

cimus: aut ex uno plures, ut Romanus homo, pro Romanis: aut cum ex pluribus intelligitur unus, ut, nos Romani qui fuimus ante Rutuli. Quæ genera omnia à M. Tullio numerata, hac nostra Synecdoche comprehenduntur, eoque melius, quo artium distinctio partiumque dispositio est confusione melior & facilior. Deinde omnis Metaphora continere debet similitudinem, ut ex Aristotele, Cicerone & Fabio jam admonuimus: Sed in Synecdoche nulla similitudo. Itaque non est Metaphora, neque sub Metaphora comprehendi potest.

1. *Synecdoche membri*] Synecdoche duplex, una partis, altera totius. Synecdoche partis item duplex, una membri, altera speciei. Synecdoche membri primo loco definitur, atque duplici ornatur exemplo.

2. *O tecta ipsa*] Hæc dicuntur de villa M. Varronis (quæ omnium Romæ togatorum literatissimum ajunt fuisse) quæ ab Antonio, omni luxu diffuente occupabatur: vendita illa quidem à Julio Cæsare.

3. *Haud aliter*] Venus, venatricem sese simulans apud Æneam filium, visis duodecim cyncis, ex persequente aquila elapsis, prædicit salutem duodecim navium, quas Æneas putabat vi tempestatis esse submersas.

4. *Allegoria quedam*] Allegorica synecdoche membri propter ejusdem continuationem exemplo demonstratur.

5. *Nullomodo*] Nihil magis optat Cic. Consul, quam ut Catilina urbe cedat.

C A P. I O. D E S Y N E C D O - che speciei.

Synecdoche speciei est, cum ex specie significatur genus. Catil. 1. ¹ Certè verendum non erat ne quid hoc parricida civium interfecto, invidia mihi in posteritatem redundaret. ² Sic infinitum numerum dicimus pro magno. Plaut. ³ Sexcenta licet ejusmodi proferre. Orat. 2. Cujus ex ludo tantam ex equo Trojano innumeri principes exierunt. Sic numerus singularis pro plurali: quo modo

sæpe est in Livio, Romanus prælio victor. Georg. 3.

⁴ Haud secus, ac patriis acer Roman⁹ in armis.

» Item, Orat. 1. Quid tam necessarium est, quam te-
» nere semper arma, quibus tectus esse possis? id est,
» possimus, vel quilibet possit.

Allegoria hic est frequentior. Agr. 2. ⁵ Cùm
» haberet hæc Respub. ⁶ Lucinos, ⁷ Calatinos, ⁸ Aci-
» dinos, homines non solum honoribus populi rebus-
» que gestis, verum etiam patientia paupertatis or-
» natos, & tum cùm erant ⁹ Catones, ¹⁰ Philippi,
» ¹¹ Lelii, quorum sapientiam temperantiamq; in
» publicis privatisq; forensibus, domesticisq; rebus
» perspexeris: tamen ejusmodi res commissa est ne-
» mini. Hic Lucini, Calatini, Acidini, pro civibus
honoratis & pauperibus: Catones, Philippi, Lelii,
pro sapientibus & temperatis usurpantur. Sed hic
troporum significatio etiã ab Oratore explicatur.
Talis in Juvenale, Satyr. 2. allegoria est:

¹² Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & gla-
cialem

Oceanũ, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulãt, & ¹³ Bacchanalia vivũt.

Hic Sauromatas & glaciale Oceanum dixit, pro
quolibet remotissimo loco, Curios pro temperatis,
Bacchanalia pro quolibet intemperantiã genere.

Idem:

¹⁴ Quãm si te Veneris commendet epistola
Marti.

Venerem & Martem dixit pro amica & amato-
re: sic Eclog. 4.

¹⁵ Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ vehat
Argo

De-

Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur
Achilles.

Significat autem gubernatores, & naves, & bellatores, & hostilia oppida. ¹⁶ Sic Agr. 2. Hunc Capua Campano supercilio ac regio spiritu cum videremus, ¹⁷ Magios, Blossios mihi videbar videre, ac Iubellios.

AD CAP. DECIMUM.

Synecdoche altera speciei est, quæ illustratur exemplo, ducto ex Actione 1. in Catilinam.

1. *Certe verendum*] Id de Catilina, qui cives suos interficere constituerat. Parricida, proprie qui patrem vel matrem occidit: sed per synecdochen extenditur ad fratres, propinquos & alios.

2. *Sic infinitum numerum*] Numerus finitus pro magno & infinito sæpe numero usurpatur apud auctores classicos. Est autem & latior expositio numeri singularis pro plurali. nam singularis numerus videtur tanquam pars, & pluralis ut totum quod exemplis tribus ostenditur. Romanus acer, pro Romanis acerbis, &c.

3. *Tanquam ex equo Trojano*] Id dictum de Isocrate, qui permultos discipulos habuit: ex quibus alii historici nobiles, alii Reip. gubernatores extiterunt. Vtitur sæpe Cicero hac comparatione, tanquam ex equo Trojano, ut in Cæliana, 2. Philippica, & alijs locis.

4. *Haud secus*] Comparantur Afri armentarii cum Romanis bellatoribus, qui ut ferebant vallum, arma, cibaria trium mensium; ita armentarii omnia secum agebant,

— Tectumque laremque

Armaq, Amycleumaq, canem, Cressamaq, pharetram,

Non secus ac patriis acer Romanus in armis:

5. *Cum haberet hæc*] Comparatur Respub. Romana vetus hominum frugi & sapientum imprimis virtute præstantissima, cum recenti Repub. omni genere vitiorum diffluente.



6. *Lucinos*] Fabricius Lucinus ter Consul fuit, domi inops, qui Pyrrhi thesauros cōtempfit. de quo Cic. 3. Of. fic. Val. Max. lib. 4. cap. 4. & Aul. Gellius 3. cap. 8.

7. *Calatinos*] Hic in agro ferens Calatinus ad dictaturam evectus est.

8. *Acidinos*] Manliū Acidini & Capitolini & Torquati dicebantur.

9. *Philippi*] Multos fuisse Marcios Philippos reperio. Fuit enim Q. Martius Philippus consul cum Lucio A. milio: quibus consulibus bellum Tarentinum cœpit. de Hetruscis Philippus ille triumphavit. Fuit & Marcus Philippus ejusdem Q. nepos, ut opinor, consul cū Sexto Julio: quibus consulibus cœptum fuisse bellum sociale auctor est Plin. 23. Cicero scribit, hunc solitum gloriari, sine ullo munere se adeptum esse omnia quæ habentur amplissima.

10. *Lælii*] Lælium sapientiæ laude præstitisse, & sapientē nominatū testatur multis locis M. Tullius, ut in Lælio, de finib. 2. Tuscul. 5. De natura Deorū 3. Plutarchus in Gracchis, sapientē dicit appellatum, quod cū idem tentasset, quod Tiberius Gracchus, veritus ne feditio excitaretur, sapienter ab incepto destitisset: vel q̄ omnia ferret æquo animo. Cicero pro Murena: Quis Cajo Lælio comior? quis jucundior? quis gravior? sapientior?

11. *Catones*] Cato Censorius, optimus Orator, Senator, Imperator, Censor & arator habebatur. De hoc multa satis Cicero in Bruto. Simili tropi modo dictum à Tullio, in Catone majore: Non omnes possumus esse Scipiones aut Maximi. pro Cælio: Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnesque eos qui hæc ex minimis, tanta fecerunt.

12. *Ultra Sauromatas*] Hæc dicuntur in simulatores & hypocritas, qui cute perdit, voluptatibus immerſi sunt, quanquam fingant se vitam æmulari Curii, qui rapas in foco torrens, aurum Samnitum repudiavit, dixitque se malle imperare aurum habentibus, quàm auro.

13. *Bacchanalia*] Sacra erant nocturna, quæ fiebant in honorem Liberi patris, tor plena flagitiis; ut Romæ Senatusconsulto damnata sint.

14. *Quam*

14. *Quám si te*] Ex eodem Juvenale, Saryra ultima: quo loco probatur ea militia quæ geritur deorum voluntate, hoc modo:

Multo plus etenim fati valet aura benigni,

Quám si te Veneris commendet epistola Marti.

15. *Alter erit tum*] Id dicitur á Poëta de Salonino filio Pollionis, quo nascēte omnia melius habitura videantur: quasi seculum aureum ejus a tate rediturum sit.

16. *Hunc Capua*] Quo loci M. Tullius superbiam Campanorum notat. Il enim Confidium, qui eó coloniam deduxisset, non, ut in aliis fieri coloniis solebat, Duumvirum appellabant sed Prætorem.

17. *Magios Blossios*] Decius Magius Campanus fuit, qui solus non probavit societatem Annibalis cum Campanis initam: idcirco captus est, navi impositus Carthaginem deductus. Marius veró Blossius Prætor erat Capuæ, cūm fœdus est inter Annibalem & Campanos initum. Lege Livium 3. Decad. 3. Jubellius denique, quod cum Annibale consensisset, præsentem Flacco Consule Romano manus sibi violentas attulit.

CAP. II. DE SYNECDOCHE
integri.

¹ *Synecdoche totius est, quando ex toto pars significatur: estq; integri vel generis: integri quando ex integro significatur membrum. Aneid. 1.*

² *Pabula gustallent Trojæ, Xanthumq; bibissent. Hic intelligis & partem pabuli, & partem Xanthi fluvii, non tota pabula, non totum Xanthum. Eclog. 2.*

³ *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

⁴ *Epist. 4. lib. Res vides quomodo se habeat: Orbem terrarum distributis imperiis ardere bello. Orbem pro globo, Synecdoche est membri pro in-*

tegro, & orbem pro parte orbis, est synecdoche contraria integri pro membro, id est, pro imperio Romano.

AD CAP. UNDECIMUM.

1. Sequitur alterum Synecdoches membrum: cujus prima species definitur, & illustratur exemplis.
2. *Pabula gustassent*] De equis Rhesi Thraciæ regis, qui in auxilium Trojanorū veniebat: sed noctu á Diomede in tentoriis interfectus, ille Diomedes statim
Ardentes avertit equos in castra, prius quàm Pabula gustassent Troje, &c.
3. *Aut Ararim*] Virgil. sub persona Tityri pastoris, ob restitutos sibi agros ab Augusto, beneficii memoriam sempiternam fore testatur.
4. *Res vides*] Cicero deplorat cum Servio Sulpitio bellum civile ortum inter Cæsarem & Pompejum, lib. 4. epist. 1. ad familiares.

CAP. 12. DE SYNECDO- che generis.

Synecdoche generis est, ¹ quando ex genere significatur species. pro Marc. Et certè in armis, militum virtus multum juvat. Virtus pro fortitudine. Hic tropus ³. Tusc. explicatur. 2. Cat. Sine dubio perdidimus hominem, magnificèque vicimus. Hominem dicit pro Catilina. Verr. 3. ² Ad quam spem tam perniciosum, tam ³ importunum animal reservetis? Animal pro bestia dixit Orator. ⁴ Nec tamen quidlibet hinc audebis, ut dicas pro equo quadrupedè, ait Quintilianus. Sic ⁵ Tydides, & Pelides, pro Diomede & Achille: sic poëta pro Homero aut Virgilio, orator pro Demosthene aut Tullio. ⁶ Sic pluralis pro singulari, Ad Bru-

Brutum: Nos populo imposuimus, & Oratores visi sumus. Allegoria hic etiam frequens est. Catil. I. Exire ex urbe Consul hostem jubet. His generibus verbis, urbe, consul, hostem, intelligis Roma, Tullius, Catilinam.

A D C A P. D U O D E C I M U M.

1. *Quando ex genere*] Genus est totum universum, quod partes seu species essentielles habet: species autem est pars generis. sic animal, genus hominis, & beluæ: homo & belua, species animalis.
2. *Ad quam*] Arguitur perfidia Verris, qui cum legatus & questor Dolabellæ fuisset, in eum dixit testimonium.
3. *Importunum animal*] 6. Antoniana, beluam importunissimam dixit: sed ponitur species pro genere. In Pisonem verò, animal ex omnium scelerum importunitate concretum.
4. *Nec tamen*] Præceptum cautionis & prudentiæ de delectu synecdoches ex Quintil. 8. cap. 6.
5. *Sic Tydides*] Tamen observabis in hac synecdoche præstantiam & dignitatem. nam quanquam duo Atrei filii fuerint, per Attidem tamè intelligimus Agamemnonem, quippe qui rex regum diceretur in expeditione Trojana.
6. *Sic pluralis*] Pluralis numerus singulari collatus speciè habet generis & rotius, uti jam dictum est paulo antè.
7. *Exire*] Consilium Ciceronis de supplicio Catilinæ, ut exulet potius, quam interficiatur, quanquã dignissimus qui mortis atrocissimo genere pereat.

C A P. 13. D E E P I L O G O

Troporum.

Atque hæc de tropis: quorum si præstantia & excellentia spectetur, longè princeps erit Metaphora, Ironia deinde succedet, tertia erit Metonymia.

postrema Synecdoche. Usus autem etiam frequen-
tissimus est Metaphora, deinde Metonymia, tum
Synecdoches: rarissimus Ironie. Hanc autem in-
ductionem, octo Ciceronis consulares à P. Ramo
observata concluderunt. At præcipuè tres species,
Metonymia, Metaphora, Synecdoche, sæpe con-
junguntur. In Pis. ² Unus ille dies mihi quidem
instar immortalitatis fuit, cum Senatum egressum
vidi populumq; Romanum universum, cum ipsa
Roma propè convulsa sedibus suis, ad complecten-
dum conservatorem suum procedere visa est: qua
me ita accepit, ut non modò omnium generum, æ-
tatum, ordinum viri ac mulieres, omnis fortuna
ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur, & tecta
urbis ac templa letari. Hic Metonymie sunt, sena-
tus pro Senatoribus, Roma pro Romanis: Synecdo-
che, tecta pro edificiis, mœnia pro urbe. Metapho-
ra autem illa, ex inanimatis & brutis rebus, ani-
mata & ætrose, ³ Procedere accepit, letari, præci-
puam laudem obtinent. Atque hæc prima Rhetor-
icæ elocutionis ὁμοιοπαγὰ καὶ κομπωσις fuit.

AD CAP. 13. DE EPILOGO
Troporum.

1. Troporum præceptiones concluduntur, id est, elocutionis pars prior, & ex adjuncta singulorum dignitate usus eorum commendatur.
2. Unus ille dies] Hic Cicero seipsum laudat ob detectam & repressam conjurationem Catilinariam. Vel fortasse id potest intelligi de reditu ab exilio, quem diem solet impensissimè laudare, sicubi sese offerat occasio. ut pro Sextio: Hunc ego reditum repudiarem? qui ita florens fuit, ut verear nequis me studio gloriæ putet idcirco exisse, ut ita redirem.

3. Proce-

3. *Procedere accepit*] Siquidem tecta, mœnia, urbs, Senatus non egrediuntur, non complectuntur, non procedunt obviam, non accipiunt, non lætantur, sed homines ipsi. His hæc similia ex Archiana: Saxa & solitudines voci respondent. item hæc pro Marcello: Parietes mediusfidius tibi gratias agere gestiunt. & 2. Philip. O tecta ipsa misera, &c.

C A P. I 4. Q U I D F I G U R A,
& quid figura dictionis.

Exposito in tropis primo genere elocutionis, sequitur ut de figura secundo loco dicendum sit. ¹ *Figura, est elocutio: qua orationis habitus à recta & simplici consuetudine mutatur. Ut enim tropus, est singularum vocum: sic figura, conjunctarum est: utque vocum alia est propria, alia modificata: sic orationum alia est recta, alia figurata. Illam Greci ἀνακρίσιον, hanc ἐπιμαυριστικὸν vocant:* ² *Itemque figuram, ἔπιμαυρισμα, id est, habitum & gestum, quendam orationis. Nomen autem figura, videtur ab histrionum persona & habitu sumptum esse, qui varia orationis genera variis vestimenti figuris pronuntiabant.* ³ *Artem verò figurarum videtur* ⁴ *Tullius desperasse, cùm tertio Oratorio numerum earum augeat, in Oratore autem minuat: denique in Topicis nominatim precipiat, in re infinita vitiosum non esse prætermittere aliquid: ut cùm (ait) de ornamentis verborum sententiarumque præcipitur: res enim est infinitior. At hujus infinitatis, quam Tullius existimat, genera & species, si non accuratissimè exprimere: certè lineamentis quibusdam adumbrare licet.* ⁵ *Figura igitur est* ⁶ *dictionis aut sententiæ.*

E iij

7 *Figura dictionis est figura, qua elocutio figuratur dictionibus apte & jucunde inter sese resonantibus.*
 8 *Itaque figura dictionis, nihil aliud est, quam elocutionis harmonia quaedam & numerus: quo uno nihil est cognatius nostris animis: numero enim excitamur, & incendimur, & languescimus: & ad hilaritatem tristitiamque deducimur. Rhetorice igitur $\mu\omega\rho\sigma\eta\mu\iota\omega\nu$, ¹⁰ omnesq; pigmentorum arcula, hic precipue explicantur: quibus ¹¹ non sophiste solum ad ingenii ostentationem, sed oratores in seriis & gravibus causis utiliter usi sunt. Figura dictionis est ¹² in sonorum dimensione vel repetitione.*

AD CAP. 14. QUID FIGURA,
 & quid figura dictionis.

Explicatis hucusq; Tropis, ordine transit ad figurarum doctrinam. Figura primum definitur, orationis vulgaris mutatio, quod explicatur per similitudinem a dictione. Ut enim alia dictio propria, alia modificata: sic oratio alia recta, alia figurata. de quibus ita Fab. lib. 9. c. 1. Tropus est dictio ab eo loco, in quo propria, est translata in eum, in quo propria non est. Figura autem est confirmatio quaedam orationis, remota a communi & primum se offerente ratione. Deinde subjicit: Ornatus verbi duplex est: in uno verbo tropus: in oratione figura dicitur, fieriq; potest ex verbis propriis figura. Et haec quidem verissima differentia retineatur. Quam tamen distinctionem ipse postea non servavit: confundit enim tropos & figuras, cum Ironiam & alios quosdam tropos inter figuras censeat. putat enim tropum continuatum propter verborum conjunctionem, figuram esse. Aristoteles 3. de Arte dicendi, cap. 8. pauca de figura tradit, quam unam probat, quae nec metrica sit, nec numeris careat. Cic. 3. de Oratore, & in Oratore perfecto ad Brutum, multa quidem, sed confusa de figuris praecipit. Sic Grammatici nonnulli pluraq; de figuris tradiderunt: & alias quidem

dem Rhetoricis, alias etiam Grammaticas esse voluerunt: é quibus quasdam volunt esse dictionis seu Etymologiae Grammaticae: alias Syntaxeos: quae certé figuræ non sunt proprié dictæ, ut hîc accipiuntur, sed emendationis aut puritatis (circa quas proprié versatur ars Grammatica) regulæ quædam singulares. In Grammaticis denique præceptis tradere figuras Rhetoricis, alienû est à legibus methodi: ita ut qui sic se gesserint, quocunque nomine censeantur, nimium imprudenter excefferint Grammaticos canones.

1. *Figura, est elocutio*] Hæc ex Fab. eodem loco tractata sunt, ubi tradit ipse orationem non figuratam, vitiosam esse. Sic verû erit, inquit ille, aliam esse orationem ἀχρηματιστον, id est, carentem figuris: quod vitium non inter minima pono: aliam ἐχρηματιστην, id est, figuratam.

2. *Item q₃ figuræ χῆμα*] Definitionis altera illustratio ex nominis etymo, quod μετὰ φασικῶς ducitur ab histrionibus. Nomine χῆμα Cicero in oratore perfecto, gestû orationis interpretatur. Re vera schema significat alias habitum, ut in Amphitruone Plauti: Ego huc processi sic cû servili schema, in Bruto veró sic idem M. Tullius: Erant autem & verborum & sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci χῆματα, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. & quidem χῆμα non ad verba solû, sed & sententias pertinere declarat ipsemet Oratore ad Brutum. Itaque hoc vocabulum commune facit tropis & figuris utriusque generis.

3. *Artem veró figurarum*] Præparatio ad sequentem figurarum distributionem ex effectis diversis. Quamvis M. Tullius artem figurarû desperarit propter infinitatem, quædam tamen potest earû distributio fieri, si non tam accurata, saltem tamen facilis, & non omnino improbanda.

4. *Tullius desperasse*] Cic. 3. de Oratore, verborum & sententiarû figuras numerat. Oratore perfecto sibi minime constat: nam tantû verborum 17. & sententiarû 45. figuras cõplexus est: qua de postea suis locis. Hos duos dissidetes locos adducit Fab. lib. 9. cap. 1. & 7. plures esse docet, sed omnes feré sine nomine: ibidẽq; duo genera

figurarum tradit, Grammaticum unum, alterum Rhetoricum. quod quàm sit alienum á vero, docti viderint.

5. *Figura igitur*] Distribuitur figura ex subjecto duplici, Dictione & Oratione. Petitur id ex Fab. lib. 9. c. 1. quo loci adversus eos, qui plures figuræ species aut pauciores esse cõtenderent, eandẽ distributionẽ statuit. Inter plurimos (inquit) quod sciã, cõsensum est duas ejus esse partes: *δρανοίας*, id est, mentis vel sensus vel sententiarũ; nam iis omnib. modis dictum est: & *λέξεως*, id est, verborum, vel dictionis, vel elocutionis, vel sermonis, vel orationis.

6. *Figura est dictionis*] Fabius eodem loco, figuram sententiæ primò ponit, hoc usus argumento: Quod natura prius est, debet antecedere: Sed sententia, quæ concipitur animo, prior est dictione, quæ enuntiatur voce: Itaque figura sententiæ debet antecedere: Sed hunc syllogismũ ita syllogismo alio labefactare possumus. Quæ natura sunt priora & simpliciora, primo loco statuenda sunt: Dictio est natura prior & simplicior, quàm sententia: Itaque figura dictionis primo loco ponenda. Aliquis tamen, Fabii nomine, rursus objiceret, mēte prius sententiam concipi, quàm dictionem proferamus: ergo figuram sententiæ præcedere oportere. Nos ita solvere possumus: Sententia quidem primũ mente concipitur quàm vox proferatur: sed tamen dictio simplicior, & natura prior, mente prius & facilius cõcipitur, quàm sententia. Huc etiam spectat, quod in Bruto, figuras verborum primo loco statuerit Cicero.

7. *Figura dictionis*] Definitor figura dictionis ex genere & materia: de qua Fab. c. 3. lib. 9. disputat, aitq; figuras sæpe mutari: quod quidem verum est, sed ad ejus rei probationem malè subjungit. Veteres (inquit) & præcipuè Cicero, dicebant, Invidere hanc rem, non, huic rei. Imo verò ille in Tusculanis contrã profiteretur illud Accii carmen malè conversum: *Florẽm liberũm quisnam invidit meĩm*. Deinde dicitur (ait) Incumbere illi, non in illum: plenum vino, non vini: quod præterquam quod est Grammatici, falsum videtur.

8. *Itaque figura*] Definitionis illustratio ex caussis, sono & numero, de quib. sequenti doctrina pluribus dicitur,

9. *Nostris*

9. *Nostris animis*] Pythagoras dicebat nostros animos nihil aliud esse, quā numeros: ferturq; Timotheus Musicus Alexandrum Magnum sic affecisse cantu, ut illum ex epulis ad arma, ex armis ad epulas facile cōpelleret.

10. *Omnesque pigmentorum*] Sumptum id ex 1. epist. 2. ad Attic. Liber meus (inquit Cicero) totum Isocratis *μυροφύκτιον*, omnesque ejus discipulorum arculas, ac nonnihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit.

11. *Non sophistæ solūm*] In scholis olim Sophistæ magna arrogantia versabantur. ii enim de re quacunq; proposita in utramque partem dicere & disputare se profitebantur Eos apud Platonē Socrates exagitat sæpissimé.

12. *In sonorum dimensione*] Distribuitur figura dictionis in dimensionem, & repetitionem sonorum. Fab. lib. 9. c. 3. Figuram dictionis duplicem facit, unam Grammaticam, Rhetoricam alteram: sed Grammatica non pertinet ad hoc institutū, in quo duntaxat agitur de Rhetorica doctrina.

AD CAP. 15. DE RHYTHMO.

¹ *Dimensio est Poëtica vel Oratoria* ² *Poëtica, qua perpetuis certorum spaciorem legib. adstringitur:* ³ *Et feré in fabulosis argumentis ad hominum mores imitandum Et exprimendum. Hinc Tragedia, Comædia, Et cætera poëmatis genera orta sunt,* ⁴ *in quibus ἀεπίτητα καὶ ἀνανώγεισι, varietas casuum, Et agnitio tandem insperata, delectarent animos. ad eamque rem rhetorici cujusq; ornamentum præcipua licentia est assumpta.* ⁵ *Alioqui si vera tractes, si severior fueris:* ⁶ *nihil habere poëte nisi numerum videre. Sic Empedocles, Aristoteli physiologus videtur, non poëta: neque quicquam habere commune cum Homero præter metrum. Ergo species elocutionis rhetoricæ, in talis argumenti licentia numero poëtica dicitur, cujus voluptas præcipuè insignis est, præcipuè ⁷ *ῥυθμικὴν illā**

Platonis, & incantationem manifesto carmine continet: adeo ut hinc⁸ primūm homines capti, dicantur à fera agrestiq₃ vita, ad civilem & humanum cultum traducti esse.⁹ Numerus poëticus, aut Rhythmus aut Metrū. ¹⁰ Rhythmus est numerus poëticus, certum syllabarum numerum certa clausula terminatum continens. ¹¹ Sic enim constituenda doctrina gratia nomen commune usurpetur. Tales rhythmus naturales sunt in omni natione atque gente: atq₃ (ut loquitur Aristoteles)¹² ἐκ τῆ αὐτοχρησίας, é naturali & sponte fusa compositione. ¹³ Sic enim hodie Francorum, Italarum, Hispanorum, Germanorum, omniumq₃ omnino populorum rhythmus sunt, sine ulla longarum vel brevium syllabarum dimensione: & talia quondam in Græcia ante Homerum, & in Italia ante Andronicū poëmata fuerunt. Talis enim videatur poësis fuisse in illis (de quibus¹⁴ Ennius loquitur) versibus,

— Quos olim Fauni vatesque canebant.

¹⁵ Atque hæc infantia est poëtica dimensionis: & sic Quintilianus ait rhythmum, aurium mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum: mox in eo repertos esse pedes, eorumque locis certis ordinatorum dimensione facta esse metra: ut in veteris & Græcia & Italia poëmatibus, quæ hodie leguntur, apparet, & ¹⁶ in vernaculis linguis apparebit, si quando eruditionis uberiorem fructum nactæ sint.

AD CAP. 15. DE RHYTHMO.

I. Dimensio est poëtica] Dimensio, quæ spectatur in certa pedum collocatione, duplex hîc constituitur, Poëtica & Oratoria.

2. Poëti-

2. *Poëtica, quæ perpetuis*] Poëticae dimensionis definitio ex certis spaciorem legibus. Hæc Grammatici quidam Grammaticæ assignarunt, non satis rectè, ut videtur. nam Poëtica dimensio est elocutio, qua orationis habitus à recta & simplici consuetudine mutatur: itaque ad figuram Rhetoricam pertinet.

3. *Et ferè in fabulosis*] Dimensionis Poëticae amplificatio ex materia poëtis proposita in fabulis, quib. hominum mores informet: quod nō solū Aristotelis testimonio hîc probatur, sed etiā Platonis auctoritate cōfirmatur.

4. *In quibus* *ἑπιτέτα*] Hoc differunt historicae narrationes à poëtis: quod historici res eo ordine quo gestæ sunt, simpliciter narrant: at poëtæ immutant ordinem, & à medio sæpe incipiunt: cujus rei ratio redditur ab Horat. in Arte, ibi,

Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor,

Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,

Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Quid sit autem *ἑπιτέτα*, declarat Aristoteles de arte poëtica: nimirū quoties fit mutatio felicitatis in cōtrarium: ut è felici repente miser, aut contrā: vel cū præter spem aliquid accidit. Latine verbum nō reperitur propriè: tametsi M. Cicero ad Lucejū 5. epist. sit conatus vim verbi hujus exprimere: Viri sæpe excellentis ancipites variiq; casus habent admirationē, Aristoteles i. de arte dicendi, ait mutationes ejusmodi, eò quod multum habeant admirationis, solere jucundas esse. At *ἀναγνώρισις* est, cū ea nota fiunt quæ prius erant incognita. Latine dici potest agnitio, quāquam fortassè nimis *ἐνεργητικῶς*.
5. *Alioqui si vera.*] Unde poëtæ, *ποιηταί*, id est, fictores appellantur. Cic. i. Legum, à poëta veritatem non esse exigendam, tanquam à teste, scribit: quia in eo pleraq; ad delectationem referuntur. Sic Horat.

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

6. *Nihil habere poëtæ, nisi numerum*] Nō versus, at figmentum poëtam facit, ut didicimus ex Aristotelis poëtica. Nam Empedocles, quanquam versibus libros ediderit Physicos, nō ideo poëta censendus est, sed Philosophus. Sic apud Latinos Manilius minimè poëta ppter metrum

est existimandus, sed astronomus propter argumētum quod tractat. Et Lucretius totus physiologus est, non poëta: sic deniq; Lucanus historicus est, non in numero poëtarum habendus. Quae de re ita ludit per prosopopœiam jocularis poëta Martialis in imperitiam libreriorum, qui Lucanum in poëtarum album referrent:

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam,

Sed qui me vendit bibliopola putat.

7. *ἡθητικὸν Platonis*] Ex Gorgia Platonis, initio docuimus nonnulla, quæ huc referri possunt.

8. *Primum homines capti*] Poëtici numeri facultas ex effectis demonstratur. De qua sic Horatius:

Sylvestres homines sacer interpretæq; Deorum

Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus:

Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis

Saxa movere sono testudinis, & prece blanda

Ducere quo vellet.

Cicero tamen 1. de Orat. & initio 1. de Inventione id e loquentiæ tribuit, & 5. Tuscul. Philosophiæ.

9. *Numerus poëticus*] Numeri divisio in Rhythmum & Metrum. Fab. lib. 9. cap. 4. hanc ferè divisionem ponit: sed eadem est cum prima, quæ paulo antè fuit, cum dictum est: Dimensio Poëtica est, aut Oratoria. Rhythmus pro numero oratorio generaliter aliàs, cum hîc speciatim accipiatur, M. Tullius in Oratore, pro eodem sumit.

10. *Rhythmus est*] Definitur Rhythmus ex adjunctis syllabis in clausulam similiter desinētibus, qui in Græcis & Latinis auctoribus, qui sunt (ut ita dicam) de meliore nota, non cernitur, sed tantum in vulgaribus linguis usitatus est. Numerum Cicero vocat id omne quod aptè cadit, auremque delectat, ut vult Fabius, finita spatio- rum cōprehensione. Nam nullus est sensus tam impari- ens quàm sit aurium, qui & redundantibus & curtis atque imminutis offenditur, at certo sine dimensio- nis oblectatur. Itaque is numerus Oratorius est, qui sub aurium mensuram aliquam cadit, certa- que syllabarum quasi mistione temperatus, auribus se gratum præbet, modo absit à versu.

Nume-

Numerum eundem esse vult idem M. Tullius, quem Græci ῥυθμὸν appellant: quo vocabulo & nos utimur lingua vernacula, cum nostrorum poetarum, qui Gallica scripsere lingua, poësim significamus. Diomedes Grammaticus ita Rhythmum definit: Rhythmus est versus imago modulata, servans numerum syllabarum, positionem sæpè sublationemq; continens. Rhythmus à metro differt, quia temporum, syllabarum, pedumque congruentia in infinitum multiplicari ac profluere potest. Sic autè Cic. in Orat. perfecto: Quicquid est quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest à versu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui Græcè ῥυθμὸς vocatur.

11. *Sic enim*] Excusatur vocabuli novitas, quod generaliter pro omni numero sumendum videretur: hinc enim artis & doctrinæ gratia specialiter usurpatur.

12. *αὐτοχρηδίασμαίταιν*] *αὐτοχρηδίασμαί* est extemporalis, rudis, & repente facta compositio, qualis est quæ ut plurimum arte caret. Interdum scripta, quæ temerè, nulloque artificio funduntur, *αὐτοχρηδίασμαί* appellantur.

13. *Sic enim hodie*] Variis exemplorum inductionibus Rhythmi definitio illustratur.

14. *Ennius loquitur*] Qui poëtæ Ennium præcesserunt, expertes omnis elegantiæ, impoliti & obscuri fuerunt. Fundebant. n. versus iis similes, qui olim à vatibus & Faunis canebantur: quos obscuros fuisse & oraculorum similes, facile suspicamus. Hic locus planior fiet eo quæ legimus in Bruto Ciceronis: Quid? nostri veteres versus, ubi sunt?

— *Quos olim Fauni, vatesque canebant,*

Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,

Nec dicti studiosus erat.

Idem Oratore perfecto: Ergo inquit, Ennio licuit, vetera contemneri dicere,

Versibus quos olim Fauni, vatesque canebant.

Mihi de antiquis eodem modo non licebit?

15. *Atque hæc de infantia*] De origine Rhythmi & carminis hætenus: deinceps Metri principium proponitur ex causa & testimonio Fabii.

16. *Vernaculis linguis*] Metrum etiam esse posse in lin-

guis vernaculis, nostri quidā poëtæ Galli nuper ostēderunt, sed quem successum habere possit iste conatus, & studium re vera nimum insolens, posterī viderint.

CAP. 16. DE METRO.

Authores numeri metrici per veteres perhibentur: tametsi Aristoteles negat ullius poëtæ ante Homerum scripta extare: nec Roma ante Ennium extitit quidquam satis dignum quod iterum legatur, ait Cicero. Ergo hæc de rhythmo. Metrum est numerus poëticus, certos pedes & certis locis collocatos continens.

³ Pes, est dimensio certis syllabarum temporibus definita: Estque bisyllabus aut trisyllabus: & uterque simplex aut mistus. Bisyllabus simplex est ⁴ spondeus, ex duabus longis, ut mūsās: aut ⁵ Pyrrhichius, e duabus brevibus, ut Dēus, Mistus autem est ⁶ Jambus e brevi & longa, ut dēos: aut ⁷ Choreus, e longa & brevi, ut ārmā. Trisyllabus simplex, est ⁸ Molossus e tribus longis, ut Rōmānōs: aut ⁹ Trochæus e tribus brevibus, ut lēgērē. Mistus verō constat e duabus syllabis deinceps similibus aut dissimilibus. Duarum syllabarum similium pedes sunt bis bini. ¹⁰ Dactylus, e longa & duabus brevibus, ut Tityrē. contra ¹¹ Anapestus, e duabus brevibus & longa, ut flūviōs: ¹² Bacchius, e brevi & duab. longis, ut āthēnās: contra ¹³ Palimbacchius, e duab. longis & brevi, ut cāntārē. Misti autem e dissimilibus continuis duo sunt. ¹⁴ Creticus e longa, brevi, longa, ut iudicēs: contra ¹⁵ Amphibrachus, e brevi, longa, brevi, ut āmārē. ¹⁶ Ergo hæc de pedibus, quo-

quorum dimensione metrum componitur: in quò
 & vocalis, & m, & utraq, si sit ultima precedentis
 dictionis, eliditur, quando dictio sequens incipit á
 vocali, & ultima habetur pro indifferenti, ut in illo
 Virgilii versu:

Multum ille & terris jaçtatus & alto.

Hic in (ille) item um in (multum) eliditur.¹⁷ Ge-
 nera ejus multa sunt: numerus enim potest infini-
 tis penè modis in continuatione verborum variari
 & conformari. Summa autem duo sunt, simplex
 & compositum. Simplex constat é duobus tantum
 pedibus, quale est¹⁸ Adonium, constans é dactylo
 & spondeo: ut,

Terruit urbem.

Carmen compositum est, quod constat é pluri-
 bus, quam duobus pedibus: ut tetrametrum & po-
 lymetrum: nam¹⁹ trimetrum insigne nullum est,
 tetrametrum est²⁰ Asclepiadeum, é molosso, ana-
 pesto, duobus dactylis: ut,

Mæcenas atavis edite regibus.

Polymetrum est pentametrum, vel hexamè-
 trum. Pentametra sunt,²¹ Phalencium & ²² Sapp-
 hicum & Elegum. Phalencium é spondeo, dacty-
 lo, choreis tribus: ut,

Passer, deliciæ meæ puellæ.

Sapphicum constat é choreo, spondeo, dactylo,
 choreis duobus: ubi observandum est, ut cum ter
 dictum fuerit, ei carmen Adonium addatur: ut,

²³ Jam satis terris nivis, atque diræ
 Grandinis misit pater, & rubente
 Dextera sacras jaculatus arces,
 Terruit urbem.

F

²⁴ *Elegum constat duobus primis locis dactylo vel spondeo: tertio, spondeo, cum anapæstis duobus: ut,*

²⁵ *Victurus genium debet habere liber.*

²⁶ *Hexametrum epicum præcipue celebratur, constans quatuor primis locis e spondeo vel dactylo: quinto, dactylo tantum, ut sexto, spondeo: ut,*

*Arma virūq; cano. Trojæ qui primus ab oris
Verum pentametrum ab epico nunquam separatur, quamvis epicum ab eo separetur.*

*Nescio quid plus est, quod donat secula chartis:
Victurus genium debet habere liber.*

²⁷ *Reliquorum generum exempla ex poetis animadverti possunt, qui propè infinitos & innumerabiles concentus orationis invenerunt. Neque tamen sic omnes numerorum varietates complexi sunt, quin plures inveniri possint.*

AD CAP. 16. DE METRO.

1. *Ait Cicero*] In Bruto: Livianæ, inquit, fabulæ non sunt dignæ satis, quæ iterum legantur. Deinde: Livius primus fabulam Romæ docuit, anno urb. 410. quo tempore natus est Eonius. nec mirum: nam, ut idem ait, serius poeticam accepimus annis ferè quadringentis decem, cum Andronicus fabulam dedit.

2. *Metrum est numerus*] Metri definitio. est autem metrum Græca vox, quæ mensuram aut dimensionem significat. At quia certa quadam mensura & pedum collocatione versus constant, ideo metra nominantur.

3. *Pes est dimensio*] Pes definitur & dividitur. Hic autem pes per metaphoram sumitur. Ut enim animalia certis pedibus & gradibus incedunt: ita versus, syllabarum dimensionibus, quibusdam videntur incedere. De pedibus consule Fab. lib. 9. c. 4. Rationem omnem numerorum eruditi plerique ad species seu modos duodecim revocant: aqua-

æquales nempe quatuor: totidem duplices: & totidē sesqui-
 quimajores. Æquales hi sunt. Pyrrichius, duabus brevi-
 bus cōstans; ut, iocus: Spondæus, longis duabus; ut, vir-
 tus: Dactylus, é longa duabusq; brevibus; ut, credite: A-
 napaestus, duabus brevib. & longa; ut, fluvios. Duplices
 autem hi: Jambus, ex brevi & longa; ut Deos: Choreus, é
 longa & brevi; ut, crede: Tribrachus, tribus brevibus;
 ut, sterilis: Molossus, tribus longis; ut, Romanos. Sesqui-
 majores sunt: Creticus, é longa, brevi, longa; ut, termi-
 nos: Scolius, vel Amphibrachus, é brevi, longa, brevi; ut,
 superbus. quæ tamen sunt qui inter æquales numerent:
 tot enim habet ille tempora, quot Dactylus. Bacchius, é
 brevi duabusq; longis, ut amâtes. Palimbacchius, é dua-
 bus longis & brevi; ut, descende. Sunt alii sedecim pedes,
 qui numeri cōpositi dicuntur, quia componantur ex iis,
 de quibus modò dixi, simplicibus, quatuorque syllabis
 constant, iique omnes cadunt in utriusq; genus oratio-
 nis & poëticæ & oratoriæ, non tamen prorsus eodē mo-
 do. Hi autē sunt, quatuor Pæones, quatuor Epitriti, duo
 Jonici, Proceleusmaticus, Dijambus, Dichoreus, Dispō-
 dæus, Chorjambus, Antispastus. Pæones omnes cōstant
 tribus brevib. & una longa. Si longa prima fuerit, Pæo-
 nem primum facit; ut, muneribus: si secunda longa, se-
 cundum; ut, inertia: si tertia longa, tertius Pæon fit; ut,
 reverenter: si quarta longa, quartus; ut, temeritas. Pæo-
 nas facile est resolvere in alios pedes simplices, ex quib.
 cōponuntur: ut é Pæone primo faciamus Choreum &
 Pyrrichium: é secundo, Jambum & Pyrrichiū: é tertio,
 Pyrrichium & Choreum: é quarto, Pyrrichium & Jam-
 bum. Pæonibus sunt quasi oppositi Epitriti: constāt e-
 nim omnes trib. longis & una brevi. Si ergo prima bre-
 vis sit, Epitritum primū facit; ut, recusantes: si secunda
 brevis, secundum, ut confiteri: si tertia brevis, tertium;
 ut, consumerent: si quarta brevis, quartū; ut, conservan-
 tur. Quos erit facile ad simplices pedes revocare, ut pro-
 ximé admonuimus in Pæonibus. primus enim Epitritus
 æquipollit jambo & spōdæo: secundus choreo & spon-
 dæo: tertius spondæo & jambo: quartus spōdæo & cho-
 reo. Jonici ambo, duab. brevibus, & totidē longis com-

ponuntur. Si duæ longæ præcesserint, jonicus à majore nominatur: ut, cōstantia: sin duæ primæ breves, jonicus à minore: ut, retinerēt. Proceleusmaticus est geminatus pyrrichius: cōstat enim quatuor brevibus: ut, ariete: Di-jambus, jambo duplici, ut, perennitas: Dichoreus, duobus choreis; ut, consulebat: Dispondæus, duobus spondæis; ut, fortunati: Chorjambus, é choreo & jambo; ut, simplicitas: Antispastus, ex jambo & choreo; ut, regnaturus. Et hæc quidem de his jam satis. Sunt qui Dochimum adjiciant, qui pes componitur jambo & cretico, id est, quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa (ut loquitur Cicero in Orat. perf.) quale est illud, Amicos tenes: quem ipse ait esse quovis aptum loco, dum semel ponatur: quia iteratus & continuatus numerum apertum, & nimis insignem facit.

4. *Spondæus*] Spondæum nomen habere à σπονδή, quod est libamentum, quo utebatur olim in sacrificiis. Unde Pythagoras nactus adolescentes quosdā vinolentos irruere toto impetu in fores cujusdā pudicæ mulieris iussit tibicinem mutato modulo spondæū cānere. quod effecit, ut mutata musica, juvenū etiam furiosorū animus ad verecundiā revocaretur. Ea ratione cōjiciunt eruditi homines à Virgilio versus quosdam spondaicos cōsulto factos esse ad gravitatem, majestatem, tarditatem aliquando, & nonnunquam indignitatem significandam.

5. *Pyrrhichius*] Α πυρρίχην, quod fuit saltationis genus, exerceri solitū à juvenibus armatis Lacedæmone, ut firmiores propter laborē redderentur. Ejus inventor Pyrrhus existimatur, cūm patris Achillis rogū celebraret. Testis est Plin. 7. cap. 56. Athenæus mavult à Pyrricho quodam Lacedæmonio: alii ab ignea vi & mobilitate. Pes est cito motu recursans, ut loquitur Terentian. Maurus. itaq; & κινήσις nominatur Diomedi à mobilitate. Tamen Aristophanis scholiastes, Cinesiam poetā composuisse pyrricham tradit, ad quā decursus fieret modulatus, lege carminis ita conflata, ut constaret é breuibūs fermé pedibus. Pyrricham describit Plato 7. legū. Spartianus in Hadriano: militares pyrrichas frequenter populo exhibuit. Ammianus Marcellin. in 16. princeps, artemque

temque modulatus incedendi per pyrricham. Et 18. de Sabiniano: more vitæ remissioris fluxius agens, militari pyrrichio sonantibus modulis, pro histrionicis gestibus in silentio summo delectabatur.

6. *Jambus*] Ab *ιαμβιζήν*, quod est afficere contumelia, cōviciari. Archilogus putatur auctor hujus pedis, ut etiam carminis Jambici. Is socerū Lycamben, eó q̄ filiam denegasset, amarulentis & mordacibus ita probris carmine maledico affecit, ut eum ad suspendium adegerit. Jambum primū fuisse pedem Grammatici nobiles tradiderunt: & hexametrum ad ejus factū similitudinem.

7. *Choreus*] à chorea, id est, saltatione.

8. *Molossus*] à populis Epiri, quorum saltatio gravissima fuit.

9. *Trochæus*] à *τρέχω*, curro: nam propter brevitatē syllabarum videtur concurrere. *τροχός*, rotam sonat, à qua voce Trochæus deflectitur. estq; lascivis & mollib. saltationibus aptus, quæ vocantur cordaces. Nā Arist. 3. de arte dicendi, trochæum cordaci aptiorē facit: quo significat eum numerum fuisse lascivum, tenerum & incitatum. Trochæum & choreum pleriq; confundunt, quod eodem spatio constent, id est, tot sint spatia hujus atque illius. Trochæus enim cōstat tribus brevibus, & tribrachus appellatur. Choreus veró longa & brevi cōficitur. Secus Grāmatici docent, qui eum pedem longa & brevi termināt. nos antiquorū doctrinam sequimur. sic enim Fab. lib. 9. Tres breves trochæum, quem tribrachyn dici volunt, qui choreo trochæi nomē imponunt. & pōst: Trochæum quoties ultima longa sit, cōverti in Anapæstum: quod certē fieri non posset, nisi tres in trochæo breves essent. Cic. in Orator. ad Brut. idē tradit, ut etiam Ephorus longē antē, qui pedem hunc (Trochæum inquam) ut nimium celerem damnabat, eó quod solis brevibus conficeretur. At ut id tandē conciliemus, certum est à M. Tullio choreum longa & brevi, trochæū tribus brevibus describi: quia tamen duæ breves unā longam creent, idcirco à Grammaticis idem pes existimatur.

10. *Dactylus*] *δάκτυλος*, digitus est: hæc ergo vox metaphorica. Ut enim in digitis tres partes sunt, quarū una

longitudine duabus reliquis: sic in dactylo pede una syllaba longa par est duabus aliis, temporum ratione.

11. *Anapæstus*] ἀναπαῖω, repercutio, quia sono reciproco repercutit dactylum. ἀνὰ δάκτυλῳ etiam, id est, dactylo contrarius, nominatur, exhortationibus accommodatus, ait Cic. 5. Tusc. Scribit Val. Max. 2. cap. 6. Lacedæmonios non antè ad dimicandum descendisse, quàm tibix concentu, & anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto & crebro ictus sono strenuè hostem inuadere admonitos.

12. *Bacchius*] à Baccho, in cuius sacris adhibebatur.

13. *Palimbacchius*] Baccho contrarius, à πάλιν retro, & βακχεῖῳ.

14. *Creticus*] à Creta, ubi repertus est: aliis appellatur ἀμφίμορος, id est, utrinque longus.

15. *Amphibrachius*] Contrarius Cretico, quasi utrinque brevis.

16. *Ergo hæc de pedibus*] A doctrina pedū transit ad præceptionem de versibus, cuius duo membra: primum est anomalix vocalium in diversis dictionibus concurrentium: alterum est ultimæ syllabæ versus, in quam cadere potest indifferenter, seu brevis illa sit, seu longa.

17. *Genera ejus multa*] Metri definitio atque pedum, ex quibus cõponitur, hætenus descriptio constituta fuit: deinceps ordine sequitur distributio: quæ quamvis in infinitas partes trahi ac secerni possit, tamen doctrinæ simplicioris & facilioris gratiâ in duas partes nõ temere facta fuit: quãquam Servius centum versuum genera describat, & Horatius in Odis undeviginti, hîc tamè exempla sex generum tantum proponuntur, eorū nempe quæ sunt illustriora.

18. *Adonium*] Ab Adoni vel Adonide Veneris amasio, quem ab apro interfectum cum dea lugeret, dicitur hoc carmine usa.

19. *Trimetrum*] Apud Tragicos & Comicos non ea ratione dicuntur trimetra, qua hoc loco. nam trimetra sex pedibus constant, qui bini sumpti metrum faciunt, præter dactylum, qui solus metrum facit.

20. *Asclepiadeum*] Ab inventore Asclepiade. tetrametrum

trum, á numero quatuor locorum. ab aliis Chorjambicum, á pede qui præcipuas habet in hoc metri genere. De scanfione nihil híc admonendum video, quód eam satis esse vulgo tritam existimem.

21. *Phaleucium*] á Phaleuco, vel Phalæco: aliás ἐνδεκασύλλαβον, quód cōstet syllabis undecim, carmē id nominatum. Hephæstioni & Suidæ dicitur φαλαίκρον á Phalæco.

22. *Sapphicum*] á puella Sappho, quæ hoc carmine lusit egregiè, illa quidem inter novem lyricos poëtas nō potest remi nominis.

23. *Jam satis terris*] Horat. Oda 2. primi, significat iratos Romano populo deos propter mortem Julii Cæsaris.

24. *Elegum constat*] Elegum vel Elegiacū, ab ἐλεῖω, id est, misereor, appellatur, eo q̄ primū res lugubres eo genere carminis cōprehensæ fuerint. Ovid. de Tibulli morte:

Flebilis indignos elegeia solve capillos.

Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Et alio loco:

Venit inornatis elegeia nexa capillis,

Et puto pes illi longior alter erat.

25. *Nescio quid plus*] Causam quærit Martialis qua maximè libri quidam transmittantur posteris, idq; per adhibitionem. Nam si quis elegantiam aut acumen, aut doctrinam quãdam dicat esse, erit aliquis qui occultam potiùs causam tanquam genium cōservantem esse dicet. Vide Proverb. Genium habet. itidemq; dextro vel sinistro genio.

26. *Hexametrum Epicum*] Hexametrum á dimensione sex locorum: Epicum ab ἔπος, quod est carmen, per synecdochen generis pro specie, propter versus dignitatē: deinde heroicum, quia hoc carmine, heroum & principum res gestæ canebantur, ut patet ex Homeri & Virgilii poëmatis. Hujus carminis inventorem fuisse Moysen Josephus 2. antiquit. Jud. tradit. ad Pythium Apollinem retulit Plin. l. 7. c. 56. alii auctores alios memorant.

27. *Reliquorum generum*] Expositis sex generibus versusum insigniorum, aliorū longè plurium exēpla repetēda sunt ex poëtis. Cū enim, ut Cicero docet in Topi-
cis, minimè vitiosum cēseri debet in re infinita præter-

mittere aliquid: ut cūm de ornamentis verborū ac sententiarum præcipitur, quæ res infinitior sit. sic de carminum generibus satis videtur esse, si præcipua & quæ nobilitiora sunt, aliis prætermisissis, hîc adducantur.

CAP. 17. DE NUMERI ORATORII origine & laude.

¹ Numerus poëticus expositus est. Oratorius, est numerus quidem non incertus, sed tamen & poëtico, & sibi ipsi perpetuò dissimilis. Natus autem est ex illo poëtico, cujus voluptatem rhetores imitati sunt, cūm hîc animadvertissent poëtas quidem populo placere, in oratoribus autem genus ἀρρυθμὸν & incompositum cum severitate audiri. Numerum igitur quædam rhythmicis quidem & metricis legibus solutum, sed tamen ² numerum in prosa adhibuerunt: cujus inveniendi princeps ³ Thrasymachus fuit: sed ejus omnia nimis erant scripta numerosè. Deinde Gorgiam ferunt in hujus numeri affectatione immodicum fuisse, & his ipsis festivitibus intemperantiùs abusum. ⁴ Isocrates autē, Gorgie jam senis auditor, utrumq; moderatione superavit. Ergo numerus ille poëticus hunc alterum oratoris numerum genuit in Græcia maturiùs annis propè quadringentis tardiùs in Italia. ⁵ Oratorii autem numeri gratià, hyperbaton, id est, longior verbi transgressio, permittitur. Fit enim (ait Fabius) sapissime aspera, & dura, & dissoluta, & hians oratio, si ad necessitatem ordinis verba redigantur: & ut quodq; oritur, ita proximus etiam, si vinciri non potest, alligetur. Differenda igitur quædam & præsumenda: atq; ut in structuris lapidum impolitorum, loco quo convenit, quidque ponendum: non enim

enim recidere ea, nec polire possumus, quæ coagmẽ-
 tata se magis jungant: sed his utendum qualia sunt,
 eligendaq; sedes: nec aliud potest facere sermonem
 numerosum, quàm opportuna ordinis mutatio.
 6 Numerus oratorius rhythmum nil admodum habet,
 nisi forte in quadam repetitione, de qua suo loco: totus
 est in observatione pedum: 7 quem Tullius tanti fe-
 cit, ut affirmet conciones saepe exclamasse, cum ver-
 ba apte cecidissent. Hunc igitur numerum adhibere
 necesse est, si ornate velis dicere, non solum (8 quod
 ait Aristoteles & Theophrastus) ne infinite fera-
 tur, ut flumen oratio: verum etiam ut multo majorẽ
 vim habeat. Neq; verò (ait Fabius) Demosthenes
 fulmina tantopere vibrasse diceretur, nisi numeris
 contorta ferrentur. Atque ideo (ait Tullius) ut
 athletas, nec multo secus gladiatores videmus, nihil
 nec vitando facere caute, nec petendo vehementer,
 in quo non motus hic habeat palestram quandam,
 ut quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam,
 idem ad aspectum etiam sit venustum: sic oratio nec
 plagam gravem facit, nisi petitio fuerit apta: nec sa-
 tis recte declinat impetum, nisi etiam incedendo,
 quid deceat, intelligit. Itaque qualis eorum motus,
 quos à παλαίστρας Græci vocant, talis horum videtur
 oratio, qui non claudunt numeris sententias.

A D C A P . 17 . D E N U M E -
 ro oratorio.

I. Transito à numero poetico ad oratorium, qui descri-
 bitur ex causis, primum à fine, deinde efficientibus. De
 hoc Cicero Oratore ad Brutum, unde hæc sumpta cõ-
 stant. Sic Fab. lib. 9. c. 3. quo loco quaerit originem nu-
 meri oratorii, causam, naturam & usum. Causa finalis

primo loco ponitur, ut auribus auditorū placet oratio. Nam ut poëtica & versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentum: sic in oratione animadvertum est, multo quidem illud secus, sed eadem natura admonente, certos esse quosdam cursus conclusionesq; verborum.

Et poëtico & sibi ipsi dissimilis] Cicero ad Brutum, quid poëtæ differant ab Oratoribus, apertè docet, eosque rebus maximè duabus distinguit. primò, quòd in poëtis major semper fuerit verborum faciendorum & componendorum licentia: deinde, quòd poëtæ voluptatè magis quàm res ipsas sectentur. Sic verò Crassus l. de Orat. hanc videtur quæstionem solvere: Est finitimus oratori poëta, numeris astrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus socius, ac penè par: in hoc quidem certè propè idem, nullis ut terminis circumscribat, aut definiat jus suū, quo minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari qua velit.

2. *Numerum in prosa*] Vetusti homines primùm versibus scripserunt: utq; ait Plin. lib. 5. c. 29. Cadmus primus prosam condere instituit. Idem lib. 7. c. 56. ait Pherecydem Syrū primùm soluta oratione scripsisse: in quo sibi dissentit Plin. Sed numerū in prosa quemadmodum adhibuerint, & inde artē solertes & ingeniosi homines composuerint, M. Tullius, & Fab. Quintil. oratoriis libris tradiderunt. Interq; alias de numeris præceptiones hanc observari volūt, ne sit nimius cursus numerorum. nam est longè aliter in versibus, nihil ut fiat extra modū. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter constanterq; ingrediens, numerosa habetur oratio, ait Orat. ad Brutū Cic. Id sic apertius ostēdi velim: videndū ne oratio claudicet, quòd auribus molestissimum est, ut cūm verba nō bene fluunt: contrā, ne fluctuet oratio, & quasi soluta legibus huc & illuc vagetur licentiūs: quòd omnino est alienū ab oratione docti & sapientis hominis. Quid deinde? oratio debet æqualiter & constanter ingredi, & quadam quasi dignitate & auctoritate incedere. Quæ una cautio nimiam numerorum sollicitudinem adimit: deinde negligētiam damnat, ut meminerimus,

rimus, veluti in aliis omnibus, sic in ipsa ratione numerorum, modum esse optimum. Non ideo tractatur a nobis hic locus, ait Fab. ut oratio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenscat: nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neque enim qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus vacabit, &c. Aristot. 3. ejus quidem rei affert rationem. Etenim ex oratione nimis numerosa duplex incommodum nascitur: & quod ejusmodi oratio persuadere nullo modo possit, quia præmeditata & artificio nimio parata videatur, ideoque insidiarum plena, & proinde a facienda fide putetur alienissima. Alterum verò, quod mentem avertat auditoris ab ipsa causa, & alliciat ad numerorum delicias. Atqui dum occupatus est auditor in eo inani artificio perpendendo, rem ipsam non attendit. Qua causa risit quendam Pedium Persius in 1. Satyra, hominem nimis addictum oratorio numero, & in externis dictionum ornamentis stultè occupatum.

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina rasis

Librat in antithetis: doctas posuisse figuras

Laudatur, bellum hoc, hoc bellum?

3. *Thrasymachus*] Origo numeri oratorii refertur ad Thrasymachum Chalcedonium. Gorgias hanc artem amplificavit: postremò perfecit Isocrates. De origine non modò & causa numerorum, sed & de natura usque Cicero multa & quidem subtiliter disputat in Orat. perfecto. quærit enim qui sit oratorius numerus, ubi sit positus, ex quo natus: is unusne sit, an duo, an plures: qua ratione componatur, ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliquid afferat voluptatis. Nos summatim ejus sententiam contrahemus, cum huc attexere singula molestum esset. Primum, qui sit numerus, & in quo genere collocatus, responderi potest ex Fabio, in quantitate numerum orationis esse situm, quia temporum spacio constat, & tempus est quantitas. Deinde ubi positus sit? respondetur in verborum collocatione atque pedibus. Tertiò, natus est ex ipsa natura, quæ omnium longitudinum & brevitatum in sonis, ut acutorum & gravium vocum judicium nostris in auri-

bus collocavit: & deinde factū, ut eruditorum hominū observatione ad artem numerus sit revocatus. Quartó, plures esse numeros compertum est: neq; enim id probatione indiget. Quintó, eo fine componitur numerus, ut accōmodetur rebus de quibus agitur. sic enim gravibus graves numeri, & levibus leves, aptandi sunt. Sextó, ad aurium voluptatem captati primūm numeri sunt: quandoquidē nihil magis odiosum sit quā oratio minime vincta numeris. Septimó, numeris utendum esse semper eruditi censent, & Quintilianus ipse. non enim possumus eloqui, nisi oratio longis & brevibus syllabis, ex quibus pedes fiunt, cōponatur: quod tamē in clausulis potissimūm est observandum. Octavó, cūm de loco quærit, in quo numeri ponēdi sint, nihil aliud habemus quod respondeamus, nisi in tota verborū serie & continuatione, ne quid hiet aut redundet vel subsultet odioso & incondito quodā sono. Id veró diligētius & majore cura initio periodorū & in fine: sed in fine magis quā principio volunt observandū ac tenendum esse. Quemadmodum deniq; adhibeatur, aperta solutio est, ea cautione nimirūm, ut versum omnino fugiat: quod quā vitiosum sit, alio loco dictum est. Ostendā hīc exemplis aliquot, ut adolescentes eloquentiæ studiosi commodius hanc doctrinā imbibant. Oratio ea, de qua hīc maximē, partim soluta est, partim numeris colligata. In hac non licet ad digitorū examen venire, ut in poëticis: sed cūm in membrorum cōprehensionumq; principiis & clausulis pedes variē ac distinctē locaveris, media solvere, ac laxare oportebit. In principiis pedes esse possūt omnes, sed maximē excellunt spondæus: ut, *Etsi*, pro Milone: *Quanquam*, pro Pompejo: *Dactylus*, *Et quoniam semper*, &c. & *Serius omnino*, 3. Phil. *Anapæstus*, *Utinam Quirites*: & *Sinite hoc loco*, &c. *Creticus*, ut, *Maximē vellem*, *Judices*: & *Si quid est in me ingenii*, &c. *Molossus*: *Jam veró virtuti Cn. Pompeji*. *Dichoreus*: *Hoc brevissimē dicam*, &c. *Amphimacrus*: *Frequentia vestra*. Clausulis etiā conveniunt omnes. Pæonas tamen inter alios Cicero laudat, qui numerus in oratione mollissimus & amplissimus est. eoq; Cicero ipse sæpe utitur, ut

facile

facile notari potest in ejusdem omnibus actionibus. Mollus habet multum ponderis: ut pro Marcello, Quasi quodam socio ac comite distracto. Creticus temperatus est: Non modo ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Dactylus fluit: ut, Fundamenta quæ cogitas, nondum jeceris. Dispondæus gravitatem in se majorem habet: ut, Qua benevolentia complectemur? Dichoreus: ut, Eos quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Sic de cæteris, nam integrâ hanc doctrinam velim ad examen revocari, proposita aliqua Ciceronis oratione: in qua diligenter explicanda, periodi omnes, & earum numeri observarentur.

4. *Isocrates*] Id testimonio Platonis in Phædro. Præstitit reliquis omnibus. Isocrates, qui unquam orationes attigerunt. Ferunt etiam Platonem ipsum tam studiosum fuisse numerorum, ut dubitavit Aristoteles, an scripta magni illius philosophi, inter solutas orationes, an inter poemata numeranda essent. qua causa idem Aristot. hoc judicium de Platonis stylo tulit, ut inter prosam & versum esse medium dixerit. Reprehensi sunt Hegesiae sectatores, qui numeros omnes infringere, nullaque comprehensione in dicendo uterentur. sed & jam olim à quibusdam Seneca reprehensus, qui nullis numeris orationem colligarit: quâ ob causam Caligula, Senecæ dictionem, tanquam arenam sine calce dicebat sibi videri.

5. *Oratorii autem*] Altera causa efficiens numeri oratorii rationem continet, atque modum utendi & accommodandi numeri, ex Fabii testimonio lib. 8. cap. 6. qui asserit causam numeri sitâ esse in mutatione ordinis verborum, idque per similitudinem ab Architectis, qui lapidum quendam delectum habent, ad quem necesse est ab adolescentibus eloquentiæ studiosi magnam supellectilem comparari, & copiam verborum idem significantium, quæ appellantur synonyma.

6. *Numerus oratorius*] Huc usque originem & vim numeri proposuit: sequitur divisio.

7. *Quem Tullius tanti*] Orat. ad Brut. Cic. orationes suas laudat, quæ quia numerosæ essent, clamores sæpè varios excitaverint.

8. Quod ait Aristoteles] Cautio adhibenda in compositione, Aristot. & Theophr. testimonio exponitur. Ait Fab.] l. 9. cap. 4. ubi de compositione agit.

CAP. 18. DE NUMERI ORATORII OBSERVATIONE.

Hæc Tulliana est oratorii in pedibus numeri commendatio. quæ nobis multo etiam gratior, quam authori ipsi esse debeat: qui scholasticis rhetorum commentis inductus, artem longè difficillimam hinc esse credidit, quam ipsius viginti præstantissime orationes, P. Rami diligentia observate, facillimam esse docuerunt: tanto naturam atque usum arte præstantiorem orator habuit. Unica enim consideratio hinc est, ut prosæ numerus sit non solum poëtici numeri (quod generaliter præceptum est) sed etiam sui ipse dissimilis. ¹ In prosa itaque versus fugito: ² citare tamen licet aliunde, auctoritatis aut voluptatis gratia: ³ ut Tullius præsertim senex, Atheniensium philosophorum exemplo adductus (ut ait Tusc. 2. de sese) frequenter citavit: hoc est primum. ⁴ Deinde principium vel exitum carminis, ne principium vel exitum prosæ facito. Principiorum verò cura minor: mediorum autem alioqui nulla est magnopere observatio. ⁵ In clausula verò maximè perfectio atq; absolutio iudicatur: quæ quoniam vehementiùs apparet & intelligitur, varianda est maximè, ne aut animorum iudiciis repudietur, aut aurium satietate: ⁶ nec tamen senis à fine syllabis retrorsum longiùs observatio procedet, & bisyllabis tantùm pedibus definiri potest. Numerum igitur eundem in clausula ne continuato

inuato, sed varié dissimilitérq³, temperato: neque
 quidquam nimum vel operosé, vel curiosé: artem
 oratorii é pedibus numeri totam comprehenderis.
 Id enim illa viginti orationum inductio, & ani-
 maduersio, id est, usus, eloquentie præstantissimus
 artifex & magister, persuasit. Ex longis omnibus
 clausula tardior & rarior est: ut, Et spinis resper-
 sa, tres spondei sunt. Rarissima ex omnibus breui-
 bus.⁷ At ex temperatione longarum & breuium
 frequentior. Restota é Ciceronis in Oratore loco
 declaretur. Státe Cicerone C. Carbo, C. filius Trib.
 pleb. in concione dixit his verbis: O Marce Druse:
 patrem appello. Hac quidem duo binis pedibus in-
 cisa: in priore est dichoreus, in posteriore feré omnes
 longæ.⁸ Deinde membratim: Tu dicere solebas sa-
 cram esse Rempub. Hac duo membra, ternis pedi-
 bus variata: in priore sunt choreus, pyrrichius,
 spondeus: in posteriore choreus, spondeus, jambus.
 Quicumque eam violasset, ab omnibus ei pœnas ef-
 se persolutas. Hic tres chorei continuati: nihil enim
 ad rem, extrema illa longa sit an brevis, ut Tullius
 etiam nominatim profitetur. Deinde, Patris di-
 etum sapiens, temeritas filii comprobavit. Hic
 jambum sequitur dichoreus. Quo talis clamor
 concionis est excitatus, ut admirabile esset. Qua-
 re, nónne id numerus effecerit? Verborum ordi-
 nem immutato, & fac sic, Comprobavit filii teme-
 ritas: jam nihil erit. Hic dichorei numerus Cice-
 roni gratissimus fuit, & in clausulis admodum fre-
 quentatus: ut in una pro Pompejo oratione, centies
 decies & quater adhibitus sit. In Corneliána 2. O
 callidos homines: dichoreus est & jambus. Ore ex-

» cogitatam! spondeus & dichoreus. O ingenia mē-
 » tuenda! duo pyrrichii & choreus. pro Milone: Ne-
 » que auxilium modó defensionī meæ, verúm etiam
 » silentium pollicentur. Iambus & chorei duo. De-
 » nique varietas ejusmodi semper esse debuerit, ne si-
 » militudine artificium numeri deprehendatur: ni-
 » mium enim insidiarum ad capiendas aures adhi-
 » beri videretur: totumq̄ fieret invidiosum, Luci-
 » lianumque illud audiretur:

» Quam lepidæ lexeis! compostæ ut tessera-
 » læ omnes,

» Arte, pavimento atque emblemate vermi-
 » culato.

» ¹⁰ Ergo hæc de oratorio pedū numero: in quò tã-
 » men literarum bonitas præstantior per sese videtur
 » atq̄ excellentior, quàm ipsa syllabarum mensura:
 » ut Ciceronis non solúm exemplo, sed etiam iudicio
 » percipi potest. Quantum autem sit (¹¹ ait idem)
 » apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris
 » bene structam collocationem dissolvas permuta-
 » tione verborum. Corrumptur enim res tota: ut
 » & hæc nostra in Corneliana, & deinceps omnia.
 » ¹² Neq̄ me divitiæ movent, quibus omnes Aphri-
 » canos & Lælios multi venalitiū mercatoresq̄ su-
 » perarunt: Immuta paulúm, ut sit, multi supera-
 » rūt mercatores, venalitiūq̄, perierit tota res, & quæ
 » sequuntur. Neque vestis, aut calatum aurum, aut
 » argentum, quo nostros veteres Marcellos & Maxi-
 » mosq̄ multi Eunuchi é Syria & Egyptoq̄ vicerunt.
 » Verba permuta, sicut sit, Vicerunt ¹³ Eunuchi é
 » Syria & Egyptoq̄. Adde tertium, Neque veró orna-
 » menta ista villarum, quibus Lucium Paulum, &

L. Mum-

L. Mummius, qui rebus his urbem Italiamq^{ue} omnem refererunt, ab aliquo video per facile Deliaci aut Syro potuisse superari. Fac ita, Potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaci: videturne ut ordine verborum paulum commutato, iisdem verbis stante sententia, ad nihilum omnia recidant, cum sint ex aptis dissoluta? Aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque ordine verborum paulum commutato in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffuens ac solutum.¹⁴ Age sume de Graccho apud Censores illud, Abesse non potest quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet. Quanto aptius si ita dixisset, Quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare? Sic Tullius de quaternis clausulis ad aurium (quarum superbissimum & fastidiosissimum in hac tota questione iudicium profitetur) normam examinavit.¹⁵ Iudicium autem ipsum laudo & approbo: causam iudicii longe aliam statuo. Clausula, Venalitique, non placet Tullio: neque mihi placet, quia finis est epici carminis. At clausula, Syria, Aegyptoque, est brevi, longis quatuor, brevi. deinde, Syro aut Deliaci, est spondeo, & (si ultima sit indifferens) dichoreo. denique, Qui improbos probet, est palimbacchio & dactylo. cur (inquam) haec clausula tres (si pedum numerus spectetur) ingrate sint, cum ultima in choreum, penultima in dichoreum, pedes Ciceroni ipsi gratissimos, cadant: cur denique prima temperatior est bacchio & palimbacchio, quam laudata illa, Aegyptoque vicerunt, est longis quinque, unica brevi: cur (inquam)

hæc clausula pedum numero sit ingrator, causam afferre Tullius nullam posset, quin totam pedum doctrinam antè retexeret. Quare numeri illius gratia non solùm ducitur è pedibus syllabarum sed è sonis literarum, quæ vel grandiores, vel magis conferta in clausula resonant. Neque verbi clausula id efficit nam (probet) tam verbum est, quàm (improbare.)¹⁶ Quamobrem in tota oratorii numeri laude, quæ permagna est, literarum soni primas obtinebunt.

AD CAP. 18. DE NUMERI
oratorii observatione.

M. Tullii opinio de numeri Oratorii difficultate refutatur: idque exemplis illustratur. Nos interea facillime Ciceronem ipsum possumus excusare: nã quæ perdifficilia sunt, perinde habèda sæpè sunt, ac si effici non possint, ut ait in Partitionibus.

Viginti orationes] Orationes M. Tullii partim illustratæ commentationibus in lucem editis, partim explicatæ in regia cathedra à P. Ramo, sunt hæ: cõsulares octo, nimirum tres contra Rullum, pro Rabirio perduellionis reo: quatuor Catilinaris: quatuor in Verrè, pro Cluentio, pro Roscio Comædo, pro Roscio Amerino, pro lege Manilia, pro Milone, tres primæ in Antonium.

I. In prosa itaque] Præceptum primum ex cap. 8. 3. de Arte dicendi ad Theodecten, atque ex 3. de Oratore Ciceronis, sed & ex Fab. lib. 9. cap. 4. de versu non faciendo in prosa. quod tamen quidam nimium curiosi observant aliquando ipsi M. Tullio excidisse. sed, ut ait Horatius,
— quandoque bonus dormitat Homerus.

Jam verò animi causa videamus hos errores, quos in M. Tullio notant. Ad finem penè Milonianæ sic: Omnes in me meosque redundant ex illo fonte dolores. Item 3. de Orat. ubi loquentem Crassum inducit: Ac mihi quidè veteres illi majus quiddam animo cõplexi plus multo
etiam

etiam vidisse videntur. integrum est hexametrum. Sic Brutum reprehendit Fab. quod in fine fuisset usus hexametro, sic, Quamquam sciunt placuisse Catoni. Idem Fab. initio pené orationis in Pisonem, notat Jambicum Ciceronis, quod quidem minimé mirum est, quia senarios inter dicendum vix possimus effugere. Item 5. Verina Phaleucium integrum Cicero fecit imprudenter. ait enim: Successit tibi Lucius Metellus. quod minimé mirum videri debet, cum scilicet inter dicendum oratio incalescat. Versus sæpé per imprudentiam dicimus (ait Cicero in Oratore ad Brutum) quod vehementer est vitiosum: sed non attendimus, neque exaudimus nosmetipsos. Contrá, non ita difficile scimus iis qui auscultant observare vitia in quæ dicentes non sponte incidunt. At qui scribunt, non ea fortasse venia digni putantur: ut Cicero qui in Lucullo effudit hexametrum integrum: Latent (inquit) ista omnia Luculle, crassis occultata & circúfusa tenebris. Fabius observavit á Tito Livio hexametrum historiæ suæ initio factum pené integrum: Facturusne operæ precium sim. Idem Platoni videtur aliquantum obstrepere, quod hexametrum initio Timæi posuerit. Sed & apud Sallustium Jugurthinæ belli verba prima heroicum habent ad moré spondaici: Bellum scripturus sum quod populus Romanus. Et hæc quidem notantur á Criticis: sed tamen nullus est adeo diligens, qui senarios & hipponacteos effugiat, ut testatur Marcus Tullius: etenim magnam partem ex jambis nostra constat oratio. Hipponactei veró sunt feré versus Jambici, á quibus parum differunt, nisi quod illi Jambum admittant in sexta regione: hi veró spondaum. Prioris exemplum hoc,

Beatus ille qui procul negotiis Posterioris illud:

Suffenus iste Varré, quem probé nosti.

Id postremó admonitum volo, apud M. Tullium frequentes esse hipponacteos, ut in Pisonem: *Ex flavitiorum importunitate concretum.* integrum scæzon est: & hoc,

In hoc animali invenire non possem. est in tertio loco hiatus. In eadé oratione leguntur trimetri catalectici (quibus ad senarium perficiendum deest una syllaba) ut hi sunt:

Simile habes nihil præter colorem.

A me quidem pœnas etiam expetistis.

Fatemur tamen primo hiatum inesse in sede prima: in quarta spondæum. at secundus est hipponaæus.

2. *Citare tamen*] Versus poëtarum integri citari possunt (testimonii loco) in soluta oratione. id enim præstantes olim Oratores fecerunt, cum recitarent legû, legationû & rerum alia testimonia. M. Tullius pro Sextio, & pro Murena (ut aliquot aliis) versus quosdã e poëtis citavit.

3. *Tullius præsertim senex*] Cicero negotiis gravioribus occupatus, Rhetorum Græcorum libros diligenter ad eo non examinavit modò, sed usum dicendi magistrum adhibuit.

4. *Deinde principium*] Alterum præceptum de observatione trium locorum in singulis periodis, quæ accuratissima, & maxima est in clausula, in principio mediocris, in medio autem ferè nulla.

5. *In clausula*] Nam in ea solet animus conquiescere, tenaciusq; meminisse quæ postremò jucundè ad aures pervenerunt.

6. *Nectamen*] Tertium præceptum, ut capteretur voluptas in periodi fine, ex sex tantùm syllabis. quod tamen minimè perpetuum esse debet aut potest, sed captari hanc interdum voluptatem pulchrum est.

7. *At ex temperatione*] Quartum præceptum de temperandis syllabis. Ut enim multarum vocalium cõkursus, hiatum minimè gratum facit: sic junctis unã multis consonantibus, & soni difficultas & stridor enascitur, ut est illud quod citatur à Cicerone ex Ennio, Scipio invictè: & quod ex sua versione Arati: Hoc motu radiantis Etesiaë in vada ponti. notetur etiam e Bucolicis Virgil:

Stant & juniperi, & castaneæ hirsutæ.

Quibus in exemplis hiatum notant Grammatici. Veteres etiam ad *ϕ* *ω* *ν* *ι* *α* *υ* cõsonantes elidebant: dicebant enim, multimodis, pro, multis modis. Sic Lucretius:

Multimodis agitur, & omnes accipit in se

Letitia motus. — Obvium est illud Ennii quod citatur pro Murena:

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Hoc

Hoc fecerunt & recentes alii, ut Catullus dixit, Tu dabi, supplicium. & Cicero sæpe, mehercle, & me hercule, pro, me Hercules juvet, vel mihi propitius sit.

8. *Deinde membratim*] Membrum est, quo distinguitur sententia perfecta, sed conjuncta sequenti: vulgo appellant duo puncta. Quam doctrinã sic à magistris didici: Oratio, quomodocunq; sumatur, dividitur in periodos, cola, commata. Periodus est perfecta & absoluta in oratione sententia. totum orationis circuitum Cicero appellat, Græci *περίοδος*: quæ vox primaria significatione, viarum circuitum sonat, à *περιόδω* quod est circumeo. Colon, ut Aristoteles docet, est periodi pars, & membrum à M. Tullio nominatur. Comma, mēbri pars est, & quasi aliqua sectio, quod incisum ab eodem vocatur. Cùm ergo cōstet omnis oratio tribus hisce partibus, sic tribus signis eæ distinguuntur. Nam periodus, id est, integra comprehensio, seu ambitus, seu circuitus, seu continuatio, vel circumscriptio (tot enim vocibus à Tullio nominatur) uno tantum puncto signatur, hoc modo.

Membrum punctis duobus ita: Comma deniq; seu incisum, pené semicirculo hac nota, Nonnulli virgulam appellat, sed improprie: hæc enim est virgulæ nota | Sed præsto sit exemplum, é principio defensionis Archianæ. Si quid est in me ingenii. Judices, quod sentio quàm sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum: aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artiũ studiis & disciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tēpus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propé suo jure debet. Hac in periodo quatuor distincta cola seu membra sunt: primum continet media sui parte incisum unū: secundum eodem modo: tertium ita: quartum denique nullum habet incisum, nisi forté, ut ita dixerim, implicitum & subintellectum. Illud observo præterea plenam periodum constare quatuor membris. ea enim aures implet, eo quod neque longior sit, neque brevior. Talis est prima periodus orationis in Rullum: Est hoc in more positum, & quæ sequuntur. Quod tamen perpetuū non est.

Interdū enim periodus uno membro clauditur, ut primā illa pro Cluentio: aut duobus, ut illa pro Quintio: aut tribus, ut I. Philippica, aut quatuor, ut Archiana, & pro S. Roscio: aut quinque, ut est Pompejanæ initium: nonnunquam sex membris componitur periodus, ut pro Sextio, pro Milone. loquor de primis orationum periodis quæ in aliis non possunt, sed neque debent esse certo quasi ambitu membrorum comprehensæ. Ceterā id cavendū, ne tam longa sit periodus, ut non commodē animo atque intelligentia comprehendi possit.

9. *Quām lepidē lexeis*] Sic Cicero ad Brutū Oratore, ubi de junctura verborū agit. Atq; illud primum videamus, quale sit quod vel maximē desiderat diligētiam: ut fiat quasi structura quædam, nec tamen fiat operosē: nam esset cū infinitus, tum puerilis labor. Quod apud Lucilium scitē exagitat in Albutio Scævola:

*Quām lepidē lexeis composæ, ut tesserulæ omnes,
Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato.*

Albutius, in quā, q̄ nimis operosē verba strueret, Scævola risit, & exagitavit apud Lucilium, his duob. versiculis.

10. *Ergo hæc de Oratorio*] Concluditur oratoria dimensio, quæ fuit in quantitate: sed admonemur præterea bonitatem literarum plurimū ibi valere. Lege Quintil. lib. 9. cap. 4. quomodo literæ asperiores, & composita ex iis. vocabula duriorē sonum emittāt, ut si quis ita loqueretur: Ars stridens rostris sphinx prester torrida seps strix.

11. *Aut idem*] Oratore ad Brutū. Probatum præceptum de literarum bonitate, testimonio M. Tullii. Id latissimē docetur in Oratore perfecto.

12. *Neque me*] Hoc exemplum est bene compositæ orationis.

13. *Eunuchi è Syria*] Hoc periodi exemplum displicet, ob hiatum & concursum vocalium. in quod tamen vitium aliquando lapsus est Cicero, ut i. epist. Ego omni officio ac pietate erga te cæteris satisfacio omnibus, &c.

14. *Sume de Graccho*] Hoc exemplum Gracchanæ orationis Ciceroni non placet ob numeri duritiem.

15. *Judicium autem ipsum*] Dissimile Ciceronis & auctoris hujus judicium explicatur de structura orationis.

Cicero

Cicero enim putat sententiã placere aut displicere propter pedes: sed propter sonum literarum Talæus existimat. utruoque malumus sibi invicem conciliare, quã alter ab altero videatur dissentire. Nam cùm ex pedibus numeri fiant, & è numeris sonus existat concinnus & elegans, compositionem eam valde probamus, quæ grato numerorum & literarum sono cõficiatur. Et quidem sunt verba alia sonantiora aliis: qua maximè caussa puto à Cæsare perdocto certè summique judicij homine, initium eloquentiæ in delectu verborum esse positum. Itaq; præcipiebat, ut non aliter verbum insolens, durum, & obsoletum fugeremus, quã scopulũ in mari nautæ vitare solent. Cæterũ vocabula illa sonantia sunt, ut quæ verbalia nominantur: qualia hæc: Dominatrix animi cupiditas: & gubernatrix actionum humanarum mens & ratio: Et composita: ut Pernoscere, excruciarı, pernicies, consceleratus: Et superlativa: Conspēctus jucundissimus, ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus. Et polysyllaba: ut Moderatio animi, tempestas, meliũs sonãt quã modestia, tempus. Sed hæc quidem: sunt enim alia innumera quæ facillè inter legendum notari à studiosis possunt.

16. *Quamobrem in tota*] Concluditur, quantitate sonum literarum superiorem esse.

Que permagna est] Id tractatur fusissimè à M. Tullio 3. de Orat. & à Fab. cap. 4. lib. 9.

CAP. 19. DE EPIZEUXI.

² *Figura dictionis* ² *in dimensione soni, ejusmodi est: sequitur quæ est in soni repetitione: & quidem similis, aut dissimilis. Similis continuè, vel disjunctè. Continuè, in eadem sententia, vel in diversis. in eadem sententia appellatur Epizeuxis: quando nempe sonus idem continuè iteratur in eadem sententia. Derespons. Arusp.* ³ *Hic P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumq; Cartha-*

G iij

„ginis, qui illam á multis Imperatoribus obsessam,
 „oppugnatam, labefactatam, pené captam, aliquan-
 „do quasi fatali eventu solus evertit: sic Titus An-
 „nius ad illam pestem comprimendam, extinguen-
 „dam, funditus delendam natus esse videtur, &
 „quasi divino munere donatus Reipublicæ. Hic so-
 „lúm numerus, non vox iteratur: in sequentibus
 „voces iterantur. Verr. 7. ⁴ Crux, crux (inquam)
 „infelici & misero. Terent. And. O Mysis, My-
 „sis! Item pro Ligario: ⁵ Si in hac tanta tua for-
 „tuna lenitas tanta non esset, quantam per te, per te
 „(inquam) obtines (intelligo quid loquar) acerbis-
 „simo luctu redundaret ista victoria. Pro Milone:
 „⁶ Occidi, occidi, non Spurium Melium, qui anno-
 „na levanda, jaécturisq; rei familiaris, quia nimis
 „plebem amplecti putabatur, in suspicionem incidit
 „regni appetendi. Virg. Eclog. 5.

⁷ Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Me-
 nalca,

Sis bonus, ô felixque tuis. —

⁸ Interdum parenthesis interponitur: res tamen
 eodem recidit, quia, tanquam parenthesis non sit,
 „geminatio illa continuatur. Philip. 2. ⁹ Hasta posi-
 „ta pro æde Jovis Statoris, bona (miserrimum me, con-
 „sumptis enim lachrymis, tamé infixus animo haeret
 „dolor) bona (inquam) Cnei Pompeji Magni, voci
 „acerbissima subjecta præconis. Pro Marcello: ¹⁰ At
 „veró ejus gloria, C. Cesar, quam paulo anté es ade-
 „ptus, socium habes neminem: totum hoc, quantum-
 „cunque est (quod certé maximum est) totum est
 „(inquam) tuum. ¹¹ Repetitio cōtinua ejusdem soni
 „in diversis sententiis est Anadiplosis vel Climax.

AD

AD CAP. 19. DE EPIZEUXI.

3. Jam antequam dictum est à nobis M. Tullium de Oratore 3. quadraginta tres verborum figuras numerare, sed in Orat. perfecto ne dimidiam quidem partem complecti: habet enim septemdecim duntaxat. Fab. lib. 9. c. 3. longè plures aggregat, non quidem omnes ab ornatu Rhetoricæ alienas. Hic autem decem figuræ dictionis, positæ in quodam verborum similiter sonantium rhythmo, propter numerum poëticum & oratorium exponuntur.

2. *In dimensione soni*] Transitus est à soni dimensione, ad soni repetitionem: quæ aut similis est, aut dissimilis, similis est vel continua, vel disjuncta: Continua est vel in eadem sententia, vel in diversis. In eadem sententia Epizeuxis: quæ ab ἐπι & ζῆνυαξ, id est, adjungendo dicitur. Cic. 3. de Orat. geminationem verborum nominat. Fab. lib. 9. cap. 3. Cùm verba, inquit, geminantur vel amplificandi gratia: ut Occidi, occidi, non Spurium Melium. alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat. vel miserandi, ut, Ah Corydon, Corydon. quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad elevandum convertitur. Aquila Romanus Palilogiam atque Iterationem nominat.

3. *Hic P. ille Scipio*] Milo comparatur cum Africano minore, qui ut Carthaginem evertit aliquo deorum numine: sic Milo ad Clodium occidendum, fato quodam natus esse dicitur. Idem pro Roscio Comædo: Estne quisquam qui tibi purior, prudētior, humanior, officiosior, liberalior, videatur?

4. *Cruce, cruce*] Indignatur Cicero in flagitia Verris, quibus enumeratis cōcludit hominem esse cruce dignum. Idem ead. Aspiciate, aspiciate, Judices, squalorem.

5. *Si in hac*] Exemplo hoc, Julii Cæsaris humanitas & clementia in hostes commendatur.

6. *Occidi, occidi*] Prosopopœja Milonis, qua populi auxilium implorat adversus Clodianam factionem: quippe qui virum Reip. non salutarem, sed perniciosum civem Clodium occiderit. Idem ead. Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis. Catil. 3. Ille, ille Jupiter restitit.

6. *Ipsa sonant arbusta*] Mopsus pastor his verbis affirmat Daphnin, id est, Julium Cæsarem, in deorum numerum relatum esse. & Ecloga 6.

— *Ut lituus Hyla, Hyla omne sonaret.*

8. *Interdum parenthesis*] Submonitio, quod non semper sit continua epizeuxis, sed aliquando disjuncta videatur: tamen quia sit in eadem sententia, non est diuersum figuræ genus.

9. *Hasta posita*] Acerrimè Cicero exoptulat, quod Pompeji Magni bona fuerint ab Antonio sub hasta posita. facti verò indignitatem parèthesi auget. Ita pro domo sua: Sed excitatus aliquando (dicā ipso audiente quod sensū & sentio) excitatus inquam aliquando, Cn. Pompeji nimium reconditus, & penitus abstrusus dolor.

10. *At verò ejus*] Laudatur Cæsar ob restitutum Marcellum: quod unum facinus per comparisonem pulchrè augetur.

11. *Repetitio continua*] Fuit hæctenus repetitio soni in eadem sententia: sequitur in diuersis.

CAP. 20. DE ANADIPLOSI.

¹ *Anadiplosis reduplicatio est, quando idem sonus repetitur, in fine precedentis, & principio sequentis sententiæ. Virg.*

² Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo.

Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.

Hæc figura ter iteratur, & eodem verbo Catil. 1.

³ *Hic tamen vivit: vivit? imò verò etiam in Senatum venit. Item, Vivis, & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Item: Quandiu quisquam erit, qui te defendere audeat, viues, & viues ita, ut nunc vivis.*

AD CAP. 20. DE ANADIPLOSI.

1. Anadiplosis, reduplicatio Latinè dicitur, ab ἀναδιπλώω,

αλώ, de qua sic Fabius lib. 9. c. 3. Prioris sententiæ verbum ultimum, & sequentis primū frequenter idem est: tamen de verbo specialiter, nō de sono loquitur. Est autem hæc figura & poëtis & oratoribus usitata: poëtæ quidem sæpius, oratores autem raró.

2. *Pierides*] Virgil. ultima ecloga Gallum poëtam celebrat, qui vixit Augusti temporibus, & Propertio fuit æqualis. Idem poëta Georgic. 1.

— *In morem fluminis Arctos,*

Arctos Oceani metuentes equore tingi. Horatius Epod. 14. Deus deus nam me vocat.

3. *Hic tamen*] Notatur impudentia Catilinæ per admirationem indignitatis plenam. Sic in Cæliana: Me me ipsum inquam pené decepit. ubi de Catilinæ simulatione loquitur. Lib. 3. ad Atticum: Cæci, cæci inquam fuimus in vestitu mutando.

C A P. 21. D E C L I M A C E.

¹ *Climax, gradatio, est anadiplosis compluribus gradibus continuata. Itaque genere eadem est.* Ovid. 3. Fast.

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita.

Pro Mil. ² *Nec veró se populo solúm, sed Sena-
tui commisit: nec Senatui modó, sed etiam publicis
presidiis & armis: neque his tantúm, sed ejus po-
testati, cui Senatus totam Rempub. commisit. Ec-
log. 2.*

³ *Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam:*

Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Pro Sex. Roscio Amerino: ⁴ *In urbe luxuries
creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est: ex
avaritia erumpat audacia, unde omnia scelera &
maleficia gignuntur. Author ad Heren. Namque*

inhiby

» *reliqua spes libertatis manet, si illis & quod libet, li-*
 » *cet: & quod licet, possunt: & quod possunt, audent:*
 » *& quod audent, faciunt: & quod faciunt, vobis*
molestum non est?

AD CAP. 21. DE CLIMACE.

1. De hac figura sic auctor ad Herennium, lib. 4. Gradatio est, in qua non antè ad consequens verbum descendimus, quàm ad superius conscensum est, hoc modo: Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria emulos comparavit. Accedit illud: Imperium Græciæ fuit apud Athenienses: Atheniensium potiti sunt Spartiata: Spartiata superavere Thebani: Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Asiam bello subactam, Fab. lib. 9. c. 3. Gradatio, quæ dicitur Climax, apertioem habet artem, & magis affectatam, ideoq; rarior esse debet. Est autem ipsa quoque adjectionis: repetit enim quæ dicta sunt, & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Hæc autem figura illustrior videtur propter gradationem causarum ad effecta, locumq; habere potest in sorte Stoicorum.

Mars videt hanc] Hoc dicitur de Ilia seu Rheæ Sylvia, virgine Vestæ, quæ aquam ad res sacras petitura, interea dum ad fluvii murmur somno victa quiescit,

Mars videt hanc, visamq; cupit, potiturq; cupita,

Et sua divina furta fefellit ope.

2. *Nec verò*] Hoc dicitur de Milone, qui sibi bene conscius, interfecto Clodio, in urbem intrepidè reversus, sese Senatui, & Pompejo, qui tum solus cōsul factus est, commisit. Sunt autem tres in hoc exemplo gradus, quibus audax Milonis animus ostenditur.

3. *Torva leena*] Sunt hîc etiam tres gradus, quibus ad quartum pervenitur, apud Virgil. quo loco Corydon in Alexim suum amorem similitudine pastoritia ostendit.

4. *In urbe*] Roscius Amerinus excusatur adversus eorū criminationes, à quibus accusabatur parricidii, remotis ab eo crudelitatis causis. Innuit enim Orator minimè
 videri

videri probabile, eum qui parcé ac duritet vivat, qui minimé tenax & avarus sit, animo cōcipere tantum nefas, ut alteri, nedum patri vitam tollere velit.

C A P . 22 . D E A N A P H O R A .

¹ Anaphora seu relatio est, quando sonus idem iteratur in principis sententiarum. Agr. 2. ² Tamenne vexari Rempublicam, contemni majestatem populi Romani, deludi vosmetipsos diutius á Tribuno plebis patiemini? Agr. 1. ³ Solicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus, & concionibus, & seditiōibus tradidistis. Catil. 1. ⁴ Nihil ne nocturnum praesidium palatii, nihil urbis vigilia, nihil timor populi, nihil consensus bonorum civium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultusque mōverunt?

⁵ Te dulcis conjunx, te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Pro Amer. ⁶ Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt: causam dicit is, cui nihil praeter calamitatem reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit: causam dicit is, cui non modó luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum summe jugulare cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc judicium cū praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidaretur. Denique accusant ii, quos populus poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex nefaria illorum cedere restat. Eclog. 1.

⁷ Pan primus calamos cera cōjungere binos
Instituit: Pan curat oves oviumq; magistros.

A D

AD CAP. 22. DE ANAPHORA.

1. Tertia figurarum dictionis distributio est in disjuncta repetitione soni: eaque duplex, una in principio, altera in fine. Prior Anaphora est, & definitur ex adjuncta similitudine soni initio sententiæ repetita. quæ duplex est, altera in similitudine soni tantum, altera in repetitione vocis ejusdem, & hæc quidem ornantur exemplis illustribus. Ea vocatur etiam *επιαναφορική*, repetitio verò Latinè. Cum hac figura plerique sunt, qui Polysyndeta conjungi malint, quam ut novam aliquam figuram, aut figuræ genus effingant: & quidem non malè, ut opinor, fit enim polysyndeto, repetitio conjunctionis ejusdem. Sic pro lege Manil. Ut nulla res tam difficilis, quam ille non & cōsilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit. Virgil. in 6.

*Fortè recensabat numerum, charosq; nepotes,
Fataq; fortunæq; virum, moresq;, manusq;.*

Georgico primo sic:

Lappæq; tribuliq;, interq; nitentia culta.

Huic figuræ modo alius opponitur, quæ A syndeton, vel Dialyton, id est, verborum dissolutionem omissis conjunctionibus definiunt. Eo utitur Cicero pro Cœlio: Ex hoc genere illos fuisse arbitror, Camillos, Fabricios, Curios. Catil. 1. Abiit, excessit, evasit, erupit. In Verrem ultima: Hujus furta, rapinas, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam, rerum gestarum magnitudine, atque imperatoriis laudibus tegere conaris? Virgil. Æneid. 9.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros:

Hostis adest. Et Martialis 2.

Frangere thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

De hac figura non nihil Cicero 3. de Orat. auctor ad Herenn. 4. Fabius 9.

2. *Tamen ne*] Hæc dicuntur in Rullum per indignationem. Is enim tribunus pleb. legem Agrariam, quæ fuit discordiarum seminarium, suadere conabatur. Hanc Cicero Consul magnificè dissuasit, proindeq; laudatur. Plin. lib. 7. cap. 30.

3. *Solicitam mihi*] Hoc dicitur de Ciceronis Consulatu: quod

quod tempus seditionum ac perturbationum plenum fuit ob Catilinariam factionem.

4. *Nihilne nocturnum*] Hæc dicuntur in præsentem Catilinam, cujus audax animus, & pertinacissimi consilii ingenium ponitur ob oculos. Idem schema est in eund. Catilinam: non patiar, non feram, non sinam. & pro Quintio: Quid hæc amentia? quid hæc festinatio? quid hæc immaturitas tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? Et in Vatinius: Quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet.

5. *Te dulcis*] Poëta 4. Georg. fingit Aristæum hæc verba facientem cum Proteo. Sic Æneid. 5.

Nunc eadem labente die convivium querit. &

Nunc media Æneam secum per moenia ducit,

Idem poëta in sexto: — *non vultus, non color unus,*

Non compta mansere comæ. — Item illud:

Per sidera juro, per superos. — &

Pars in gramineis exercent membra palæstris,

Pars pedibus plaudunt choreas. —

Juvenal. Satyr. 10. *nocitura toga, nocitura petuntur*

Militia. — Ovid. 2. de Ponto:

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico

Auxilium nulla parte tulisse tuum.

Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:

Turpe laborantem deseruisse ratem:

Turpe sequi casum, &c.

Item 6. Æneid. Virgilius: — *da jungere dextras,*

Da genitor, teque amplexu ne subtrahere nostro.

Idem Ovidius 1. Amorum:

Sola viro mulier spoliis exultat ademptis,

Sola locat noctes, sola locanda venit.

Et Tibullus 1. lib. elegiar.

Quam citò non segnis stat remeas hæc dies,

Quam citò purpureos deperdit terra colores,

Quam citò formosas populus alba comas.

6. *Accusant ii*] Pulcherrimum certè anaphoræ exemplum, quo Cicero innocentiam Roscii, & accusatorum calumnias, invidiam, malevolentiam, iniquum & nefa-

rium odium conatur sic ostendere & patefacere, ut omnes facinus exhorreant.

7. *Pan primus*] Inventum fistulæ refertur ad Pana deum pastorum, ne hanc artem detrectet Alexis adolescens, quem modis omnibus ad se allicere nititur Maro. Sic Cic. in Vatin. Quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet. Catilin. 3. Ille, ille Jupiter restitit, ille capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Pro Cluentio: Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices: legum denique ideo servi sumus, ut liberi esse possimus. Virgil.

Non rastros patietur humus, non vinea falcem.

CAP. 23. DE EPISTROPHE.

¹ *Epistrophe seu conversio est numerus, quo similis sonus in clausulis iteratur. Hic autem rhythmus quidam oratorius per sepe resonat in membris paribus, quæ idcirco jam olim πάρεσσι καὶ ἰσοκωλά nominata sunt. addita sunt etiam αὐτὴν δευτέρῃ ἔομοιότητι: quæ quamvis insint, nihil tamen ad orbem concinnitatis hujus (ut Cicero appellat) efficiunt: sed totum efficitur similiter desinentium ἑπιστροφῆ ἔ conversione: quæ ideo ὁμοιοτέλευτα dicuntur.*

» *Pro Pompejo: ² Ut ejus voluntatibus non modò ci-*
 » *ves assenserint, socii obtemperarint, hostes obedie-*
 » *rint: sed etiam venti tempestatesque obsecunda-*
 » *rint. Hic tria prima membra ferè senaria sunt, po-*
 » *stremum est longius. Neq; equalitatis similitudo*
 » *sic exigenda est. Agr. 1. ³ Ut vester honos ad mei*
 » *temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis oc-*
 » *casione interceptus, nec diuturnis precibus effla-*
 » *gitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. ⁴*
 » *Sed à Cicerone ipso positum tam concinni orbis ex-*
 » *emplum expendamus. Pro Mil. Est enim hæc, ju-*
 » *dices,*

dices, non scripta, sed nata lex: quā non didicimus, accepimus, legimus: verūm ex ipsa natura arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Hic quater bini tanquam versus, aequalibus ferē interspirationibus interpuncti resonāt: duo primi ternarii (non scripta, sed nata) duo sequentes plusquā duodenarii: duo sequentes iterum ternarii: postremi quaternarii. Sed in propositis exemplis sonus tantūm servatur, non etiam dictio: ⁵ in sequentibus autem dictio ipsa iteratur. Philipp. 2. Doletis tres exercitus populi Rom. esse interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Martialis lib. 2.

⁶ Capto tuam (pudet heu) sed capto, Maxime, cœnam:

Tu captas alias: jam sumus ergo pares.

Manē salutatum venio: tu diceris isse

Antē salutatum: jam sumus ergo pares.

Sum comes ipse tuus, tumidiq̄ue ante ambulo regis:

Tu comes alterius: jam sumus ergo pares.

Utraq̄ autem figura, tum Anaphora, tum Epitrophe hic comprehenditur. ⁷ Simploce complexio dicitur, cūm idem sonus in principiis & clausulis iteratur. Agr. 1. ⁸ Spem improbis ostendistis, timorem bonis iniecastis. fidē de foro, dignitatē de Repub. sustulistis. Agr. 2. Quis legem tulit? Rullus. Quis majorē populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praesuit? idē Rullus. Pro Milon. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius.

H

AD CAP. 23. DE EPISTROPHE.

I. Epistrophe definitio, in simili sono clausulæ varia nominum appellatione illustratur. eaque duplex est: altera soni similis in diversis vocibus, altera ejusdē vocis similiter desinentis. Prior exemplis tribus exornatur. A Cicerone 3. de Orat. dicitur crebra ejusdē verbis in extremum cōversio. & auctore ad Herennium, conversio, per quam non ut antē primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur. Prætermitto quæ tradita sunt à Fab. lib. 9. sed illud imprimis velim à studiosis intelligi, hoc uno figuræ nomine cōprehendi ea quæ ab aliis nominantur ἰσοκωλαίη παρῆσαι, id est, similia & æqualia membra, vel similia similib. relata: ad hæc ἀντίθεται, opposita: ὁμοιόπρωτα, ὁμοιοτέλευτα similiter cadentia, & similiter desinentia: de quibus multa sunt in libris Rhetorum, quæ ut facilia peneque trivialia consulto prætermittimus. Si qui tamē exemplis illustribus hæc figillatim velint illustrari, proponemus ex Cicero: ne ipso, ac primū in isocolo: (fit autem, cū duo vel plura membra pari syllabarum numero proferuntur: hoc est, ut ait auctor ad Herenn. ut verba verbis quasi demensa & paria respondeant.) Sic ergo in Pompejana: Qui plura bella gessit, quàm cæteri legerūt: plures provincias confecit, quàm alii cōcupiverunt. Ibid. Extrema hyeme apparavit, ineūte vere suscepit, media æstate cōfecit. Idem pro Sylla: Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescētia, cedo amicitia, tribuo parenti. Antithetī veró seu Antitheseos ita: Cujus adolescentia ad scientiā rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionib. belli, sed victoriis, nō stipendiis, sed triumphis est traducta. Homoioptota, similiter cadentia (quibus extrema referunt eundē in cadendo sonum) sic ab eodem tractantur eadem oratione Pomp. Nō enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negociis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consiliū in providendo. Homoioteleuta deniq; , id est, similiter desinentia, sic: Quàm celeriter Pompejo duce belli impetus navigavit?

vit? qui Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit. Porro differentiam quandam inter utrumque ponunt, quod homioptoton fiat, quoties fidem casus ponuntur in membrorum fine: homioptoteuton veró, quoties eodem modo membra desinunt.

2. *Ut ejus*] Laus Pompeji ex felicitate in bello maxima. Sonus idem ad finem incisorum auditur nō sine jucundo verborum numero. Huic exemplo adjungo illud, quod sese offert lōgē illustre ex oratione Sextiana: Homines, inquit, emisti, coēgisti, parasti. Quid uti faceret? Senatum obsideret? cives indemnatos expelleret? bona diriperet? ædes incenderet? tecta disturberet? templā deorum immortalium inflāmaret? tribunos plebis ferro é rostris expelleret? provincias quas vellet, quib. vellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos in liberas civitates per legatos nostros reduceret? principem civitatis ferro obsessum teneret? Hæc Cicero, quib. verbis excusat P. Sextium, quod se ipsum armorum præsidio munierit adversus factionem Clodianam, in revocando Cicerone ab exilio, & in urbem recipiendo, non tamen ut bonos opprimeret, & aliquid in leges moliretur, sicuti Clodius. Notandum est etiam hoc pro Quintio: Quis tā tui, Sexte, dissimilis? qui cum res ab eo qui cōtraxisset, recessisset, & ad hæredem pervenisset, non hæredem, cum primūm vidisset, certiozem faceret? appellaret? rationem afferret?

3. *Ut vester honos*] Cicero gloriatur se non factum Consulē aliena opera, sed sua virtute, & omnium ordinum in se amore ac studio: quo nomine populo Romano gratias agit.

4. *Sed à Cicerone*] Orbis concinnitatis exemplum hoc à Cicerone ipsomet etiā laudatur Oratore ad Brutum: & à Fabio: continet autem Epistropheñ multiplicem. Defenditur porro Milonis causa lege naturæ, quæ permittit, ut nos nostraque adversus injuriam omnem & impetum tueamur.

5. *In sequentibus autem*] Posterior Epistrophe in vocum similiter desinentiū & finalium repetitione, duobus exemplis docetur. Sic Cicero Quintiana: Pecuniam petiti:

nunc denique? veruntamen petit. Idem in Vatin. Cúm ego legem de ambitu tulerim: ex senatusconsulto tulerim: sine vi tulerim: salvis auspiciis tulerim. Oratione pro Roscio Comædo, ad finem: Quemadmodū socius in societate habet partem; sic hæres in hæreditate habet partem. Ut hæres sibi soli, non cohæredibus petit: sic socius sibi soli, non sociis petit. Eadem in oratione: Quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum huic erit probatum.

6. *Capto tuam*] Facetissimus Martialis hoc genere ornatus sæpè utitur. Maximus is, quem nō sine dente perstringit, sese pro magnifico haberi volebat. eo q̄ interdum Martialem convivio exciperet, & tamen ipsemet alienam quadram affectabatur. eo itaq; nomine non minus scurra, quā Martialis erat. Adjunge his Maronis illa: *Ducite ab urbe domum, &c.* Item, *Incipe Menalios.*

7. *Symploce*] Symploce non est figura separata, sed composita ex Anaphora & Epistrophe; quoniam in eadem sententia idem sonus in principiis & clausulis repetitur. Non possum transilire conniventibus oculis locum pulcherrimum Ciceronis é Cœliana, quo describit Catilinam: Quis (inquit) clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa veró in illo homine admirabilia fuere, versare naturam suam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere, cum tristibus severe. cum remissis jucundè, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriosè vivere. Initio 4. lib. in Verrem, qui est de signis: Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam veteri provincia, tot oppidis, tot familiis, tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuisse: nego ullam gemmam, aut margaritam fuisse: aut quicquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin
quæ sic-

quæ fuerit, inspexerit: quod placitum sit, abstulerit. Ovidianum illud 2. de arte venustum est:

Qui sermone placet, taciturna silentia vitet:

Qui canit, arte canat: qui bibit, arte bibat.

Hoc adjungam interea, plærosq; aliam quandam figuram facere, quàm *πλοκήν*, id est, cōmutationem faciant, ea definitur implicatio & trajectio verborū, quæ eadem videtur atq; Epanodos, nisi fallor. Sic Cic. in Anton. 2. Queramus utrū melius fuerit libertate populi Romani sceleratorum arma, an libertatem nostrā armis tuis cedere. Et Dialogo de claris Orat. Crassus erat elegātium parcissimus, Scævola parcorum elegātissimus. Fab. lib. 9. cap. 3. *πλοκήν* nominat frequentiore repetitionem, quæ fit ex permistis figuris, & quidē rectē. Adducit autem exemplum hoc ex epistola quadā ad Brutum. Ego cū in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompejum, te ego ergo cū redierim. Sunt & alia quædam quæ adfert exempla, quæ certē potiūs Epanodo conveniant. Dicitur autem Symploce ἀσυνωπλέκω, simul implico. id exemplis tribus ostenditur.

8. *Spem improbis* | Id torquetur in eos qui legi Agrariæ favebant. Eam legem Consul Cicero dissuasit, uti paulo antē dixi.

CAP. 24. DE EPANALEPSI.

¹ Ergo repetitiones hæ sunt in eodem loco: sequentes duæ sunt mistæ loco, Epanalepsis & Epanodos. Epanalepsis seu resumptio, est quæ idem sonus in principio & clausula repetitur. Verr. 4. ² Saluti enim eorum potiūs consulam, quàm voluntati. Philipp. 1.

³ Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cum cæteris, principem dignitate, Æn. 1.

⁴ Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Verr. 7. Multi & graves dolores inventi, parentibus & propinquis multi. Martial.

⁵ Phosphore, redde diem: quid gaudia nostra moraris?

Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.

⁶ *Vivis, & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Catilin. 1.*

AD CAP. 24. DE EPANALEPSI.

1. Distributio quarta figurarū dictionis, est etiam duplex, Epanalepsis, & Epanodus. Duplex Epanalepsis; altera vocis, altera soni. Prior docetur exemplis duobus. Sic autem Fab. lib. 9. cap. 3. Cū respondent primis ultima. sed idem l. 8. cap. 3. Epanalepsim inter tropos numerat, quod alienum est à figuræ definitione. Cic. 3. de Orator. appellat ejusdem verbi crebram tum à primo repetitionem, tum in extremum conversionem. Dicitur verò ab ἐπι, αὐτὰ & λαμβάνω, nimirum à 2. persona præteriti, vocis passivæ, λείψαι, ἐπανάληψις: itaq; Resumptio, si Latina lingua ferat, dici potest.

2. *Saluti eorum*] Idem sonus est in Syllana: eorum utilitati, inquit, potius consulam quàm voluntati.

3. *Illæ erat*] Laudat M. Antonii Oratoris clarissimi moderationem singularem, qui quanquam civitatis princeps esset, tamen eadem esse libertate cum cæteris, non plus arrogandum sibi potestatis existimabat.

4. *Multa super*] Hæc dicuntur de Didone attentissimè auscultante Æneam belli Trojani historiã narrantem. Adjungo & id è Cicerone pro Marcello: Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Virgil. Eclog.

— *Si quis tamen hæc quoq; si quis, &c. Juvenal. 6. Satyra: Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil.*

5. *Phosphore*] Hæc dicuntur in commendationem Domitiani triumphum expectantis. Virgil. in Eclogis:

Occidet & serpens, & fallax herba veneni

Occidet. —

Ovid. etiam hoc numero delectatus est: ut 3. Amorum 2. Elegia:

Invidæ

Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebat:

Quoque magis spectes, invida vestis eras.

Et Eleg. 9.

Cretes erunt testes: nec fingunt omnia Cretes.

Itemque 5. Eleg. 3.

Ilia pone metum, tibi regia nostra patebit,

Teque colent amnes: Ilia pone metum.

Et 4. Fastorum:

Qui bibit, inde furit: procul hinc discedite, queis est

Cura bona mentis: qui bibit, inde furit.

Et illud ex amatoriiis omnib. esse vulgatū puto, Eleg. 9. l. 1.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,

Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Et ad finem 1. de remedio:

Thais in arte mea est: lascivia libera nostra est:

Nil mihi cum vitta est: Thais in arte mea est.

CAP. 25. DE EPANODO.

¹ Epanodos seu regressio est, qua sonus in principio & medio, vel in medio & fine iteratur. ² Verr.

³ Habuit honorem ut proditori, non ut amico ³ *fidem. pro Plan. Gratiam qui refert, habet: & qui habet, in eo quod habet, refert. Pro Cacinna, Quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi: quia turpis existimatio sequitur, ideo rem indignam non vindicari. Eclog. 8.*

— ⁴ crudelis tu quoque mater:

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?

Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

⁵ Cic. *Vestrum jam hic factum deprehenditur,*

P. C. non meum: at pulcherrimū quidem factum: verūm, ut dixi, non meum, sed vestrum.

AD CAP. 25. DE EPANODO.

1. Epanodi definitio ponitur: quæ vox, ab ἐπι, ἀνά & ὀδὸς id est, regressio, seu ad viam reditus, appellatur. Duplex

H iij

est Epanodos, vna soni, altera vocis. Prior vno exemplo declaratur. De hac sic Fab. 9. cap. 3. Est aliud repetendi genus, quod semel proposita iterat & dividit. Citat illud ex Æneid. 2.

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus ævo

Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Vlyssi.

2. *Habuit honorem*] Cùm non negare posset M. Tullius C. Verrem à Lucio Sylla magnis fuisse muneribus donatum, causam turpem adjungit, qua Verrem acrius vituperet. quasi diceret: Non ideo Verri Sylla ea munera dedit, ut eum sibi amicum faceret, sed quia Carbonis proditor fuerat.

3. *Gratiam qui*] Tale est illud Oratione post reditum ad Quirites: Pecuniam qui retinet, non dissoluit: qui reddidit, non habet: gratiam & qui retulit, habet, & qui habet, dissolvit. Idem penè 2. de Officiis. Commodè dixit quicumq; dixit: Pecuniam qui habeat, nō reddidisse: & qui reddiderit, non habere. Gratiam autem & qui retulerit, habere, & qui habeat, retulisse. Hic autem ponuntur exempla quatuor posterioris Epistrophes, quæ cernitur in repetitione vocis ejusdem.

4. *Crudelis tu*] Hæc de Medea, quæ cum Iasone fugiens, prodito vellere aureo, fratrem Absyrtum membratim discerpit.

5. *Vestrum jam hic factum*] Hoc exemplum adducitur à Fabio lib. 9. cap. 3. Illa verò apud Ciceronem, inquit, mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua & primo verbo longo post interuallo redditum est ultimum, & media primis, & mediis ultima congruunt. Vestrum jam hic factum, &c. Videtur, meo quidem judicio, id à Cicerone dictum de interfectis in carcere Tulliano conjuratis: quo tamen nomine, tanquam nimium seuerus ac crudelis à quibusdam reprehendebatur, quanquam id non sua vnius, sed Senatus sententia fecisset.

CAP. 26. DE PARONOMASIA.

¹ *Figura dictionis in repetitione sonorum similia sic habent: in repetitione sonorum leuiter dissimili-*

similium dua sequuntur, Paronomasia & Polyptoton. Paronomasia vel adnominatio est, cum di-
 etioliteræ aut syllabæ alicujus commutatione, signi-
 ficatione quoque commutatur. ² Verr. 2. Nam ³ ut
 apertus in corripendis pecuniis, sic in spe corrup-
 pendi iudicii. Pro Amer. Tametsi non modò igno-
 scendi ratio, sed etiam cognoscendi consuetudo de
 medio sublata est. Catil. 1. ⁵ Ut non emissus ex ur-
 be, sed immissus in urbem esse videatur. Ibidem, ⁶
⁶ Hanc Reipub. pestem paulisper reprimi, non in
 perpetuum comprimi posse. Tale est illud ⁷ Quin-
 tiliiani, Erit morte immortalitatem. Item: Nemi-
 nem posse alteri dare matrimoniū, nisi penes quem
 sit patrimonium. Martialis hinc joci materiam
 arripuit.

⁸ Litgat & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
 Sed nihil patrono porrigit: hæc chiragra est.
 Inde etiam illud ⁹ est Catonis, cui cum quidam di-
 xisset: Eamus deambulatu! & ille respōdisset: Quid
 opus est de? Imo verò (ait Cato) quid opus est te?

AD CAP. 26. DE PARONOMASIA.

I. Trahit à simili sono ad dissimilem, qui duabus fi-
 guris secernitur, Paronomasia & Polyptosi. Illa quidem
 prior definitur primū, & exemplis septem exornatur.
 Dicitur à παρὰ, ad: & ὄνομα, nomen: Agnominatio Lati-
 né. de qua Cic. 2. de Orat. Alterum genus est ambigui
 (inquit) quod habet parvam verbi immutationem,
 quod in litera positum Græci vocant παρανομοσίαν. Et 3.
 de Orat. appellat verbum paulū immutatum atq; de-
 flexum varia significatione. Auctor ad Herenn. 4. A-
 gnominatio est, inquit, cum ad idem verbum & idem
 nomen acceditur commutatione vel additione vnus
 literæ, vel syllabæ, vel literarum aut syllabarum: aut ad
 res dissimiles similia verba accommodantur. Sic verò

Fab. 9. cap. 3. Tertium genus figurarum, quæ aut similitudine aliqua vocum, aut paribus, aut cōtrariis vertunt in se aures, & animos excitant. Hinc nomen Paronomasia, quæ dicitur Agnominatio. Ea nō uno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta casibus declinatur: ut, Mulier rerum omnium imperita, in omnibus rebus infelix, &c. Quod exemplum pertinet ad Polyptoton, ut antea nominarat: nā est casuum varietas in (*rerum*) & (*rebus*) non repetitio soni in dictionibus diversis. Exempla lōgē multa occurrunt: sed ē malis pauca nunc. Claudianus 2. in Eutropium:

*Tu potes alterius studiis hæere Minervæ,
Et telas, non tela pati.*

Apud Græcos elegans est hæc figura, ut cū mager incultus, non ἀγρός sed ἀργρός, id est, piger & cessator dicitur. Et cū diceret Antisthenes εἰς κόρυμφος, ἢ εἰς κόρυμφος ἐμπιστεῖν κρεῖττον εἶναι: in corvos quā in assentatores satius esse incidere. agnominatio enim est in vocibus κόρυμφος, κόρυμφος. Virgil. in 1.

— *ruppesq; tuæ, pubesq; tuorum.*

Terentius: inceptio est amentium, haud amantiū. Martialis etiam lusit in Varum, qui tenue conviviolum pararat vas aureis appositis, lib. 4. epigram.

*Tunc ego: non oculos sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes Vare, vel aufer opes.*

Item lepidē Ausonius de Venere,

Orta salo, suscepta solo, patre edita Cælo.

Et ad Drepanium præfatione ludi septem sapientum,

*Æquanimus fiam te iudice, sive legenda,
Sive tegenda putes carmina quæ dedimus.*

Itemque Epicedio in patrem:

Talis vita tibi, qualia vota mihi.

2. Verr. 2. Hæc exempla à Fabio ibidem referuntur ad ἐντανάκλασιν, id est, ejusdem verbi contrariam significationem: sed melius ad Paronomasiam revocantur juxta doctrinam M. Tullii.

3. Nam ut apertus] Hæc dicuntur de Verre, homine furace, & judiciorum corruptore. Exemplum hoc est in affinitate primæ syllabæ.

4. Tameb

4. *Tametsi non*] Difficultas proponitur salutis Roscii, ut si peccarit, non ei ignoscatur: si veró minimé, ne ejus quidam caussa cognoscatur. Hoc exemplum habet affinitatem in tribus postremis syllabis.

5. *Ut non emissus*] Dolet Ciceronem, quód Catilina impune ex urbe cesserit, cum interfici debuisset. Ut apud Ovid. 2. De ponto:

Vera facis, sed sera, mea convicia culpe.

6. *Hanc Reipub.*] Hoc exemplum differentiam tantum habet syllabæ primæ.

7. *Illud Quintiliani*] Lib. 9. cap. 3. ubi de Paronomasia.

8. *Litigat & podagra*] Festium hoc de quodã Diodoro consumpto podagra, in suum patronum minimé liberali.

9. *Illud Catonis*] Ex 2. de Oratore, ubi de jocis agitur. Hinc adjungo illud Terentii: Nam inceptio est amentium, haud amantiũ, & hoc: Prætor iste, vel potius prædo sociorum: & Nō correptor, sed corruptor. Cic. 3. Philipp. de pedagogo Antonii: Tam citó ex aratore Orator factus est. De responsis Arusp. Non modó vincere, sed etiam vincere oporteret. In Verrem. 3. Ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum. Primo ad Attic. de Pisone Consule: Consul ipse parvo animo & pravo, tantum cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis ridiculus. Tibullus 1. lib. 10.

Quam ferus, & veré ferreus ille fuit.

C A P. 27. D E P O L Y P T O T O.

¹ Polyptoton est, cum ejusdem originis variis casibus voces inter se consonant. Pro Cal. ² Ipsius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quesitum est? quo pacto? cui? quo in loco traditum? Æn. 4.

³ Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis. —

7. Verr. Certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur. De respons. ⁴ Homines te propter pecuniam judicio liberarunt, hominibus in-

» *juriatui stupri dolori non fuit: homines tibi arma*
 » *alii in me, alii post illum invictū civem dederunt:*
 » *hominum beneficia prorsus cōcedo tibi. Æneid. 5.*

⁵ *Hunc morem, hos curtus, atque hæc certamina primus*

Ascanius, longā muris cūm cingeret Albam,
Rettulit. —

» *Et 6 apud Quintilianum. Non 7 ut edam, vivo:*
 » *sed ut vivam, edo.*

AD CAP. 27. DE POLYPTOTO.

1. Altera dissimilis soni species superest, eaq; definitur. Dicitur à *πολύ* & *πίπτω*: inde *πίπτωσις*, casus, hincq; *πολύ-πίπτων*, casuum ejusdē verbi varietas. Cic. in Oratore ad Brutum: Cūm ejusdem nominis casus sæpius cōmutantur. Auctor ad Herenn. 4. Tertiū Agnominatiois genus est, quod versatur in casuum commutatione, aut unius ac plurium nominum. Quintil. 9. interim (ait) variatur casibus hæc & generib. iteratio: ut, Pater hic tuus? patrem hūc appellas? Patris tu hujus filius es? Fit casib. modó hoc schema, quod Polyptoton vocant. Cōstat etiam aliis modis, ut pro Cluentio: Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? Et 13. Philipp. Huic cedamus? hujus condiciones audiamus? cū hoc fieri pacem posse credamus? Virgil. Æneid. 4.

— *eadem me ad fata vocasses;*

Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora iussisset.

Cicero pro Archia: Pleni omnes sunt libri, plenę sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Ad Atticum 3. Inimici mei mea mihi, non me ipsum ademerūt. Eodem lib. Desidero non mea solūm, neq; meos, sed me ipsum. Et lib. 4. Mālo in illa tua sedecula quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quā in istorum sella curuli: tecumque apud te ambulare, quā cum eo, quocum video esse ambulandum: sed de ea ambulatione fors viderit. Occurrunt duo ex Ovidio polyptota (quorum usus apud eum multus) unum ex 3. Amorum, 10.

Es

Et quæ non puduit ferre, tulisse pudet.

Alterum pauló post:

Causa fuit multis noster amoris amor.

Non abhorruit ab hoc colore Persius. Sic enim Satyr. 5.

— *momento turbinis exit*

Marcus Dama papa, Marco spondente recusas

Credere tu nummos: Marco sub iudice palles!

Marcus dixit: ita est, assigna Marce tabellas.

Apud Plautum Amphitruone affectatum videri potest id tropi genus:

Justam rem & facilem esse oratum á vobis volo.

Nam justé ab justis justus sum orator datus.

Nam injusta ab justis impetrari non decet.

Justa autem ab injustis petere insipientia est.

Casus autem híc non intelliguntur nominũ duntaxat, more Grámaticorum, sed cujusvis á primo themate, sive in numero, genere, casu, gradu, persona, modo, tépore, & cæteris finib. vocum earundem dissimilibus. Quod ita ostendo exéplo ex Oratione pro Sex. Roscio: Si quis istorũ dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atq; amplitudo: si verbum de Repúb. fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est: multo plura dixisse, quã dixisset, putaretur. Ego etiam si omnia quæ dicenda sunt, liberé dixero, nequaquam tamẽ similiter oratio mea exire, atq; in vulgus emanare poterit. Híc dixisse, dixisset, dicenda, dixero: & fecisset, fieri, polyptota sunt. Sic in Antonium 13. huic cedamus? hujus conditiones audiamus? cum hoc fieri pacem credamus?

2. *Ipsius autem*] Urgetur Clodia, quæ Cœlium beneficii accusabat, cum veneni nulla signa proferre posset. Idem & eodem feré verborum sono dixit pro Cluentio: Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? per quem porró datum? unde sumptum? Ovid. 5. epist.

Destituor prudens artis ab arte mea.

3. *Littora littoribus*] Imprecatio Didonis, quæ abeuntem Æneam diris precibus insectatur. In Eclogis item:

— *omnis feret omnia tellus.*

Ovid. 1. de Arte:

Et lacrymæ profunt: lacrymis adamantina movetis.

4. *Homine te*] Hæc dicuntur in Clodium, qui accusatus de sacris Bonæ deæ violatis, pecuniarum largitione absolutus est.

5. *Hunc morem*] Idâ Virgilio dicitur de certamine, quod Pentathlon nominabatur, in Anchisis honorem ab Ænea celebrato.

6. *Apud Quintil.*] Lib. ejusd. 9. cap. 3. Addo illud é i. de remedio Ovid.

Tu modó, qui quod amas agré dediscis amare.

Ubi non idem casus sed modus idem verbi, aut potius idem verbum varié flexum iteratur. Itemque hoc ex 3. l. ejusdem operis:

Spectantem specta, videnti molliaride.

7. *Non ut edam*] Hoc dicitur in Sardanapalum, & Epicureos, qui se natos putabant ut ederent.

CAP. 28. QUID FIGURA SENTENTIAE, & quæ vis ipsius.

¹ *Figura dictionis ejusmodi est. Figura sententiæ, est figura quæ totam sententiam aliquo animi motu afficit.* ² *Virilem autem quandam dignitatem præ superiorum molli & delicata venustate obtinet: ut illic color & sanguis orationis, hic nervi thoriq; esse videantur.* ³ *Itaq; (ait in Bruto Tullius) quia sententiarum ornamentis & conformationibus præstat Demosthenes, idcirco á doctis oratorum est princeps judicatus. & rursus in Oratore idem confirmat: Sententiarum figuris (ait) quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent ejus eloquentiam maximè esse laudabilem. Et verò nullus ferè ab eo locus sine quadam conformatione sententiæ educitur.* ⁴ *Nec aliud quicquam est dicere, nisi omnes, aut certè plerasque aliqua specie illuminare sententias.* ⁵ *Sic igitur Tullius elocutionis principatuum huic postremo ornamentorum generi attribuit,*
publico

publico de laudibus summi oratoris iudicio. Et certe nullis acrioribus incendiis fulmina illa Demosthenis, quæ dicuntur, accendi potuerunt: nec ullis flectendorum animorum machinis elocutio violentior esse potest. Hic enim *ὑψηλὰ καὶ ἰσχυρὰ* elocutionis summa est. Denique ut superior illa est troporum, et in verbis figurarum elocutio, ad dicendum et delectandum multum valeat: hæc etiam (quod in dicendo caput est) ad movendum et pervincendum plurimum valebit: ⁶ reprehensaque ideo ⁷ à nonnullis Romanorum oratorum Atticis in Cicero-
ne: quem (quod ejus altior et ardentior esset oratio) furere et bacchari arbitrarentur. Sed usus artis et summa in civitatibus utilitas, eam calumniam refutavit.

⁸ *Figura sententiæ, est in logismo aut dialogismo. Logismus est, quando sine collocutione sententiæ figuratur: estque Exclamatio, et sui ipsius Revocatio, Apostrophe et Prosopopœja.*

AD CAP. 18. DE FIGURA SENTENTIÆ.

1. Transit à figuris verborum ad figuras sententiarum: quarum primum definitionem ponit, easque commēdat per comparisonem minoris dignitatis figurarum dictionis & similitudinē à corpore humano: quæ videtur hinc auctor mutuatus è libello M. Tullii de optimo genere Oratorum. De his sententiarum figuris Fab. lib. 9. cap. 2. quas tamen anteposuit figuris dictionum, nescio qua ratione. quod enim hæc sine aliis minimè possint intelligi, æquius esse videbatur ut hæc illas sequerentur.

2. *Virilem autem*] Loci hujus comparatio intelligitur M. Tullii distributione pulchritudinis in duo genera, quorum aliud est viri, & dignitas appellatur: alterum mulieris & nominatur venustas.

3. *Itaque ait in Bruto*] Secunda illustratio figuræ sen-

tentiarum ex duplici testimonio Ciceronis, qui scribit Demosthenem longè majorem curam habuisse figurarum sententiæ quàm dictionis, ideoque fulminare & tonare visum fuisse, nec mirum: nam in figuris sententiæ potissimum elucescit motus & perturbatio: qua in re penè una exultat & triumphat magnorù & præstantium virorum oratio.

4. *Nec aliud est dicere*] Dicere, oratorum est: loqui omnium. qua de differentia initio dictù á nobis aliquid fuit, ad generalem artis hujus definitionem.

5. *Sic igitur Tullius*] Concluditur cõmendatio figurarum sententiæ per explanationem testimonii Ciceroniani.

6. *Reprehensa q; ideo*] Occupatio est tacita: Cicero ab Atticis est reprehensus oratoribus, q; illis figuris uteretur. cui respõsio subjicitur, ex adjuncta utilitate figurarum sententiæ, quæ populù imperitum movent, ad cujus pervertitatem inventæ primùm, & ad usum perductæ sunt.

7. *Anonnullis Romanorum*] Brutus, & reliqui Oratores Attici, id est, concisi, Ciceronem ut redundantem reprehendebant, quodq; Asiatica illa ubertate & copia laboraret, quodq; populum & judices nimis perturbaret.

8. *Figura sententiæ est in logismo*] Quanquam M. Tullius 3. de Orat. quadraginta octo figuras sententiarum, & Oratore ad Brutum quadraginta quinq;: & præter eas Fab. cap. 2. lib. 9. tres novas & quadraginta adjunxit, tamen decem tantùm necessariæ ad bene dicendum numerantur: Exclamatio Correctio, Reticentia, Apostrophe, Personæ fictio, Addubitatio, Communicatio, Permissio, Concessio, Licentia. Optatio, Deprecatio ad Exclamationem revocantur: Digressio & Sustentatio tanquam alienæ rejiciuntur.

C A P. 29. D E E X C L A - matione.

¹ *Exclamatio est figura in logismo, per adverbium exclamãdi expressum vel intellectum,* ² *magnum prorsus animi commovendi instrumentum, & quidem affectuum variorum:* ³ *modò admirationis,*

tionis, O clementiam admirabilem, atque omni
 laude, predicatione, literis monumentisq; decoran-
 dam! ⁴ Modó desperationis: Pro Mil. O frustra
 mei suscepti labores! ô spes fallaces! ô cogitationes
 inanes meæ! ⁵ Modó optationis, Ovid. Epist. 1.

O utinam tunc cum Lacedæmona classe pe-
 rebat,

Obrutus insanis esset adulter aquis!

Pro Pomp. Utinam, Quirites, virorum fortium
 atque innocentium tantam copiam haberemus, ut
 hac deliberatio vobis difficilis esset, quemnam po-
 tissimum tantis rebus ac tanto bello proficiendum
 putaretis. ⁶ Modó indignationis, In Pis. O sce-
 lus! ô pestis! ô labe! ⁷ Modó irrisionis, ut ibidem,
 O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos,
 Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Pau-
 lum! rusticum Marium! Pro, adhibetur saepe ad
 obtestationem, ut in Andr.

Pro Deum atque hominum fidem! quid est, si
 non hæc contumelia est?

⁸ En, aliquando triste quid, & miserabile præ se
 fert. Eclog. 1.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
 Barbarus has legetes? en quó discordia cives
 Perduxit miseros! en queis consecimus agros!
 Heu & Eheu, sum commiserationis. 1. Offic. O do-
 mus antiqua, heu quam dispari domino domina-
 ris! Aneid. 1.

— tu nunc Carthaginis altæ
 Fundamenta locas, pulchramq; uxorius urbem
 Extruis: heu regni, rerumque oblite tuatum!

Eclog. 2.

Eheu quid volgi misero mihi! floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens! —

⁹ *Aliquando exclamatio est deprecationis & imprecationis: in Heaut.*

Ut te quidem Dii Deęque omnes quantum est,
Syre,

Cum istoc invento, cumq; incępto perduint.

Aneid. 2.

¹⁰ At tibi pro scelere, exclamat, pro talib. ausis,
Dii (si qua est cęlo pietas, quę talia curet)
Per solvant grates dignas! —

¹¹ *Pro Dejotaro, Dii te perdant fugitive! ita non
modo nequam & improbus, sed fatuus & amens es.*

¹² *Epiphonema quoque species est exclamationis,
quę ad finem rei narratę & explicatę addi solet: ut
cũ Virgilius exposuit omnes causas, quibus Juno
Romanos persequebatur, tandem acclamat, A-
neid. 1.*

¹³ *Tantę molis erat Romanã condere gentem.*

¹⁴ *Licentia etiam, quę Gręcis παρρησία dicitur,
exclamatio quędam videtur. Pro Sylla: Adeste
omnes animis, qui adestis corporibus: erigite men-
tes auresque vestras, & me de invidiosis rebus (ut
ille putat) dicentem attendite. ¹⁵ Ego Consul, cũ
exercitus perditorum civium clandestino scelere
conflatus, crudelissimum & luctuosissimum exi-
tium comparasset, cũ ad occasum interitumque
Reip. Catilina in castris: in his autem templis atq;
tectis dux Lentulus esset constitutus: meis consiliis,
meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu,
sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque ho-
mini-*

minibus comprehensis atque confõssis, incensione
 urbem, internecione cives, vastitate Italiam, inte-
 ritu Rempub. liberavi. Ego vitam omnium civi-
 um, statum orbis terra, urbem denique hanc, se-
 dem omnium nostrum, arcem regum ac nationum
 exterarum, lumen gentium, domicilium imperii,
 quinque hominum perditorum atque amentium
 pœna redemi. An me existimasti hac injuratum
 in iudicio non esse dicturum, quæ juratus in maxi-
 ma cõcione dixissem? ¹⁶ Sed Quintilianus hic nul-
 lam figuram putat, nisi quatenus sub hac libertate
 quadam lateat adulatio. Pro Ligari. ¹⁷ Vide quàm
 non reformidem, vide quanta lux liberalitatis &
 sapientia tua mihi apud te dicenti oboriatur. Quã-
 tum potero, voce contendam, ut hoc populus Ro-
 manus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam
 ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac
 voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant
 sumpta contrate. Apud quem igitur hoc dico?
 nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me an-
 tequam vidit, Reipub. reddidit. In hac licentia (ait
 Quintilianus) Orator nõ solùm ad utilitatem Li-
 garii respexit, sed magis laudare victoriis clemen-
 tiam non potuit. Quamobrem exclamatio una
 magnas prorsus vires habet.

AD CAP. 19. DE EXCLA-
 matione.

I. Definitur exclamatio ex adjunctis adverbis seu in-
 terjectionibus, quib. exclamationis affectus varii ostē-
 duntur. Cicero 3 de Oratore, putat exclamationem esse
 figuram verborum: sed Fab. lib. 9. c. 3. quosdam repre-
 hendit, qui exclamationem facerent figurã verborum,

quæ ad sententiam pertineat propter affectus. Idem tamen lib. 9. c. 2. figuram sententiæ esse judicat, ea tantum ratione, ut similitudinem quandam habeat. Figura, inquit, debet continere simulationem: Exclamatio & Licentia non continent: ergo figuræ non sunt. Tota quaestio terminari debet ex ejusdem definitione, quam tradit lib. 9. cap. 1. Figura est conformatio orationis, remota à communi consuetudine loquendi: sed Exclamatio & Licentia sunt ejusmodi: sunt igitur figuræ.

2. *Magnum proorsus*] Commendatur Exclamatio ab effectis: primum, quod affectus humanos moveat, unde sequitur Oratoris victoria: deinde per inductionem partium decem juxta varietatem affectuum.

3. *Modo admirationis*] Admiratio, prima pars Exclamationis ponitur, unoque exemplo declaratur ex Ciceronis oratione pro Marcello. Hic laudatur Cæsar Julius ob restitutum optimum civem M. Marcellum, quanquam adversus Julium pro partibus Pompejanis stetit.

4. *Modo desperationis*] Desperatio pars secunda, exemplo illustratur è Miloniana. Cum advertit Orator ad extremum orationis se iudices non posse ad misericordiam pertrahere, neque auditores commovere, desperat exclamando, ut qui in vanum tot labores pro Republica sustinuerit.

5. *Modo optationis*] Optatio, pars tertia, duobus exemplis explicata. Ovidiano exemplo, devovetur Paris à Penelope, quod ille adulter Helena raptam, in causa fuisset cur Trojanum bellum à Græcis principibus moveretur, simulque Ulyssæ marito Penelope vxor tam diu careret. Ciceronianum verò ducitur exemplum ex Orat. de lege Manilia.

Commendatur hic Pompejus: ut qui ex omnibus unus imperator dignissimus est qui præficiatur Asiatico bello.

6. *Modo indignationis*] Indignatio, quarta pars est: exemplo autem hoc Piso notatur, is ipse qui cum Gabinio Consul, Clodio tribun. plebis nefario ac scelerato jubente, Ciceronem pepulit in exilium. Huc spectat illud 1. Catil. O dii immortales, ubinam gentium sumus? Philip. 2. O te miserum, si intelligis: miseriorem, si non intelligis.

7. *Modo irrisionis*] Irrisio, quinta pars. Exemplo hoc notatur ingratitude populi Romani, ut qui à majorum virtutibus

tutibus adeo degenerarit. Sic exclamavit pro Cornelio Balbo. O præclarum juris interpretem, auctorem antiquitatis, correctorem atq; emendatorem nostræ civitatis! Et 3 Antoniana: O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!

Pro adhibetur] Pars sexta est obtestatio.

8. *En aliquando*] Commiseratio, septima pars. In Exemplo verba sunt Melibœi conquerentis se disturbatū esse de suis agris à milite Cæsariano, cui post Philippensem victoriam agri transpadani fuerant ab Octavio permisi. Cicer. pro Amerino: O dii immortales, rem miseram atque calamitosam, quod exemplum commiserationis est, quanquam non notetur *en* particula, sed, o, quæ interdum perinde valet. Sic Verrina 7 O spectaculum miserum atque acerbum! ô magnum atq; intolerandum dolorem!

9. *Aliquando exclamatio*] Octava pars, est imprecationis. Clitipho irascitur in Syrum, quod à patre pecuniã pro amica impetrare non potuerit. Act. 4. scen. 6. Heauton,

10. *At tibi pro scelere*] Priamus filium conspicatus à Pyrrho Achillis filio interfectum, execratur militē nimum insolentem ac crudelem.

11. *Diite perdant*] Philippus vel Phidippus, Dejotari servus, è Gallogræcia Romam fugit, ut herum accusaret apud Cæsarem, quod diceret à Dejotaro paratum fuisse venenum ad Cæsarem enecandum.

12. *Epiphonema quoque*] Pars nona est Epiphonema, cujus hîc statuitur usus: adhibetur nimirum ad finem rei narratæ.

13. *Tante molis erat*] Virg. initio 1. Æneid. ubi permultas causas odii Junonis in Trojanos memorasset, eosque variis casibus & longa periculosaque jactatione fatigatos, à quibus tamen imperii Romani gloria expectaretur, tandem exclamat.

14. *Licentia etiam*] Exclamationis decima pars est in Licentia, quæ duobus exemplis, Quintilianiq; testimonio illustratur. Auctor ad Herenn. lib. 4. Licentiam fieri ait, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure nostro dicimus, quod eos mini-

mé offendat, aut quos hi diligunt, qui in aliquo errato, veré deprehendi posse videantur, hoc modo: Miramini Quirites, quód ab omnibus vestræ rationes deseratur, quód causam vestrã nemo suscipiat, quód se nemo vestri defensorem profiteatur? Id tribuite vestræ culpæ, ac definite mirari. Quid est enim quare non omnes istam rem fugere ac vitare debeant? Cic. 3. de Orat. appellat vocem quãdam liberam, atq; etiam effrænatiorem augendi causa. Quintil. lib. 9. c. 2. Orationem liberam nominat, quam non esse figuram putat: quia non est simulata, inquit: quod proprium est figuræ sententiarum, quid enim minus figuratũ quàm vera libertas? Adversus quas objectiones idem dicendum atq; paulo antè, cùm de Exclamatione præciperemus. Fabius item ait: Cùm ea quæ auditorũ aures offendere possunt, dicuntur, præmunitio est opus, quod proœmium dicitur, ut Philip. 9. Vos enim P. C. grave dictu est, sed dicendum tamen: vos (inquam) Servium Sulpicium vita privastis. 15. Ego Consul.] Licentia hæc cõparatur ad ea quæ Cicero de suis laudibus, & conjuratorum pœna dicturus erat. Locum hunc, ut Orationem omnem Syllanam commentariis meis illustratam, non explicabo iterum, qui volet, meam explicationem adeat.

16. Sed Quintil.] Hæc omnia ex Fab. lib. 9. cap. 2.

17. Vide quã non.] Cicero fatetur apertissimè apud Cæsarem, Pompejanas partes fuisse non alieno, sed suo consilio se sequutum.

CAP. 30. DE EPANORTHOSI.

¹ Revocatio sui ipsius est, quando revocatur quidpiam: & est ardoris in exclamatione proximi veluti refrigeratio & moderatio: estq; epanorthosis aut aposiopesis. Epanorthosis correctio est, quando antecedens aliquid revocatur. Epistol. 1. ² Erat hoc mihi dolendum: sed multo magis illud, quód inimicum meum: meum autem? imò veró legum, judiciorum, otii, patriæ, bonorum omnium sic amplexa-

*plexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebāt, “
sic me presente osculabantur. Terent. Heaut. “*

³ — Filium unicum adolescentulum
Habeo, ah! quid dixi habere me? imó habui
Chreme:

Nunc habeam necne, incertum est: —

*Hic igitur präteritum aliquid & dictum revoca-
tur. Pro Ligar. ⁴ Sed nimis urgeo, commoveri vi- “
detur adolescens. Pro Cal. ⁵ Sed quid ego ita gra- “
vem personam induxi? Pro Mil. ⁶ Sed finis sit: ne- “
que enim præ lachrymis loqui possum: & hic se la- “
chrymis defendi vetat. Hic cursus orationis antece- “
dens revocatur, & quasi pœnitentia facti significa- “
tur. ad Fratr. ⁷ Sed nescio quo pacto ad præcipiendi “
rationem delapsa est oratio mea, cūm id mihi pro- “
positum initio non fuisset. “*

A D C A P. 30. D E E P A -
northosi.

I. Secunda distributio figurarum sententiæ ponitur
in Correctione & Reticientia. Correctionis definitio
sex exemplorum inductione declaratur: de qua sic au-
ctor Rhetoric. ad Herennium: Correctio est, quæ tollit
id quod dictum est, & pro eo id quod magis idoneum
videtur, reponit. Cicer. 3. de Oratore, Correctionem no-
minat, cūm vel antè vel postquam dixeris, vel cūm ali-
quid à te ipso rejicias. Fab. autem lib. 9. emendationem
vocat, quam cum præmuntione, & cōcessione, subjicit
prolepfi. Sed correctionis est alia ratio, & à prolepfi di-
stincta. Nam prolepfi composita est ex quadā interro-
gatione & responsionis specie: correctio autem simplex
est tanquam responsio. Deinde eandem correctionem
idem auctor rejicit ad figuras verborum lib. 9. c. 3. Cūm
est in re (inquit) figuræ sententiarū assignanda est: cūm
in verbo, figuræ verborum. Correctionis eadem ratio

est: nam quod illic dubitat, hîc emendat. Quod non videtur rectè præceptum, quia quoties aliquod antecedens revocatur, & dijudicatur sive in re sive in verbo, correctio est, ut Cicero censet, rationeque probari potest.

2. *Erat hoc mihi*] Verba sunt Ciceronis ad Lentulum. 1. Epist. quæ ad familiares appellantur, Epist. 9. conquerentis à Pompejo & Cæsare adjutum fuisse Clodiū (quos tamen offenderat) ad sui perniciem, id est, expostulat se in exilium pulsum à seditioso tribun. pleb. adjuvātibus iis in Repub. principibus. Idē Cæliana: Nisi mihi intercederent inimicitia cum istius mulieris viro, fratrem volui dicere, semper hîc erro. Phil. 2. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Itemq;: Tantus igitur stupor te oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor.

3. *Filium unicum*] Verba sunt Menedemi senis propter absentiam filii Clinia seipsum excruciantis, deque ejus vita suspensum & dubium animum trahentis.

4. *Sed nimis urgeo*] Cùm Cicero dixisset in Tuberonem Ligarii accusatorem, ejusdem criminis conscium quod objecerat, orationis vehementiam corrigit.

5. *Sed quid ego*] Oratione Cæliana Orator ab inferis excitat Appium Cæcum, qui Clodiā gravissima oratione objurgaret: hoc ubi fecit, utitur comoda correctione.

6. *Sed finis*] Hæc sunt ad finem Milonianæ, quibus superiorem orationem affectibus plenam graviore affectu corrigit. In eadem oratione hæc leguntur: Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, qui Pompejum, qui nosmetipsos cum Clodio conferre audeamus.

7. *Sed nescio quo pacto*] Postquam fratrem instituisset, ut diligenter in Repub. moderanda perseveraret, corrigit appositè ad extremum, ut qui de præcipiendo minime initio cogitarat, Sic Horatius ad finem 1. Odes 2. Carminum:

*Sed ne relictis Musa procax jocis
Cæa retractes munera nenie, &c.*

CAP. 31. DE APOSIOPESI.

¹ *Aposiopesis reticentia est, qua sententia inchoata*

choata cursus ita revocatur, ut inde pars ejus aliqua deinceps non dicta, intelligatur. ² Pro Milone: An ille hujus legis, quam Clodius á se inventam gloriatus est, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam Consule? de nostrum enim omnium: non audeo totum dicere. *Aeneid.* 1.

³ Jam cœlum terramq; meo sine numine venti Miscere, & tantas audetis tollere moles? Quos ego: sed motos præstat cõponere fluctus. *Logismus* exclamationis & revocationis ita est: sequitur qui est in *Apostrophe* aut *Prosopopœja*.

AD CAP. 31. DE APOSIOPESI.

1. Reticientiæ descriptio exemplis duobus exornatur. Cic. 1. de Orat. eam ita nominat. Fab. lib. 9. cap. 2. *ὑποσιώπησις*, inquit, quam Cicero Reticientiã, Celsus Obticientiam, nonnulli Interruptionem appellant, & ipsa ostendit affectus. vel iræ: ut, *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus*: vel sollicitudinis, & quasi religionis: An hujus ille legis quam Clodius, &c. quæ exemplo hîc inducuntur: vel aliõ transeundi gratia. in constructione Grammatica est quidem verbi reticientia, sed quatenus convenientia cum recto consideratur, Grammatica est: qua parte autem affectus spectatur, Rhetorica.

2. *Pro Milone*] Hoc exemplũ á Fabio etiam ibidem adductum non extat oratione pro Milone, quam hodie legimus. Probabile est id sumptum ex ipsa quam habuit oratione Cicero pro Milone, quæ brevior fuit, eaq; Fabii ætate doctorum hominum manibus terebatur. Id porró videtur intelligendum de seditiosa quadam lege, quam Clodius tribunis plebis iuduxerat.

3. *Jam cœlum terramq;*] Verba sunt Nepruni ventos increpantis, quõd sine jussu alienum á se maris imperium conturbarẽt. Idem poëta in *Eclogis* sub persona pastoris cum pastore contendentis:

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera

Juncta fuit? — Et:

Novimus & qui te transversa tuentibus hircis,

Et quo. sed faciles Nymphæ risere sacello.

Sic Æneid. 9.

Ecquis erit mecum, juvenes qui primus in hostem?

*Et Cic. in epistola quadam: Data Lupercalibus, quo die
Antonius Cæsari.*

CAP. 32. DE APOSTROPHE.

¹ *Apostrophe averſio eſt, quando oratio ad alienam personam convertitur, quam instituta oratio requirit. Figura non multum cedens elationis genere exclamationi, & perſepe cum ea conjungitur. ² Sed Apostrophe ex conditione personarum variè distingui poteſt: aliàs enim ad humanã personam fit averſio: ut cùm illud Ciceronis directè dictum ſit pro Muræna: ³ Negat fuiſſe rectum Cato me Conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeverè geſto conſulatu, cauſſam L. Muræne attingere: cujus reprehensio me vehementer movet, non ſolùm ut vobis (Judices) quibus maximè debeo, verum etiam ut ipſi Catoni, graviffimo atq; integerrimo viro, rationem mei facti probem. A quo tandem (ait) M. Cato, eſt æquius Conſulem defendi quam à Conſule? Quis mihi in Repub. poteſt aut debet eſſe conjunctior, quam is, cui Reſpubl. à me unã traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus & periculis ſuſtentata? Eodem modo cùm Anchifeſ narrat Æneæ, que futura ſit poſteritas nepotum. Æneid. 6.*

⁴ *Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenæ:
Ipſumq; Æacidem, genus armipotentiſ Achilli:
Ultus*

Ultus avos Trojæ, ⁵ iēpla & temerata Minervæ.
 Quis te, magne Cato, tacitum, aut te Cossæ, re-
 linquat?

Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina
 belli,

Scipiadas, cladem Libyæ? parvoque potentem
 Fabricium: vel te sulco ⁶ Serrane ferentem?

Quó fessum rapitis Fabii? tu Maximus ille es
 Unus, qui nobis cunctando restitues rem.

*Hic Apostrophe est ad Catonem, Cossam, Serranū,
 Fabium.* ⁷ *Alias ab hominibus ad deos fit aversio:*

ut à Catilina ad Jovem: ⁸ Hisce omnibus Catilina “
cum summa Reipub. salute, & cū tua peste ac per- “
nicie, cumq; eorū exitio, qui se tecum omni scelere “
parricidioq; junxerunt, proficiscere ad impiū bel- “
lum ac nefarium. Tum tu Jupiter, qui iisdem, qui- “
bus hac urbs, auspiciis, à Romulo es constitutus, ⁹ “
quem statorem hujus urbis atq; imperii veré nomi- “
namus, hunc & hujus socios à tuis aris cæterisque “
templis, à tectis urbis ac mœnibus, à vita fortunisq; “
civium omnium arcebis, & omnes inimicos bono- “
rum, & hostes patria, latrones Italia, scelerū fœde- “
re inter se ac nefaria societate conjunctos, aternis “
suppliciis vivos mortuosque mactabis. ¹⁰ In apo- “
strophe invocatio insignis est apud poëtas. Sic AE- “
neid. 1. cūm poëta proposuisset summam thesin to- “
tius AEneidos, tum sic avertitur ad Musam:

Musa mihi causas memora, quo numine læso
 Quidve dolens regina Deūm, tot volvere casus,
 Insignem pietate virum, tot adire labores
 Impulerit: tantane animis cœlestibus iræ?

Ovid. Metamorph. 1.

— Dii cœptis (nam vos mutastis & illas)
 Aspirate meis, primaque ab origine mundi,
 Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
¹¹ *Aliàs ad rem mutam & inanimatam, velut ad*
personam, transfertur oratio. Pro Mil. ¹² *Religio-*
nes me hercule ipsæ, aræq̄, cū illam belluam cade-
re viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo
suum retinuisse. Vos enim Albani tumuli atque
luci, vos (inquam) imploro atque obtestor, vosq̄
Albanorum obruta aræ, sacrorum populi Ro-
mani sociæ atque æquales, quas ille præceptis amen-
tia, & sis prostratisq̄, sanctissimis lucis, substructio-
num insanis molibus oppresserat. ¹³ *Hæc figurara-*
rô quidem, sed tamen aliquando protinus in proœ-
mio adhibetur. Catil. 1. Quousque tandem Catili-
na, abutere patientia nostra? quandiu nos etiam,
furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrena-
ta jactabit audacia? Hic verò in Senatu res agi-
tur, ideoq̄ directus sermo ad Patres: unde aversio
intelligitur.

AD CAP. 32. DE APOSTROPHE.

1. Tertia divisio figurarum sententiæ est in Apostrophe, & Prosopopœja. Apostrophes definitio ponitur per comparisonem similis ferè facultatis cū exclamatione. Fab. lib. 4. c. 9. vocat sermonem à persona judicis aversum, quæ definitio angustior est, quia non solum apud judices habeatur, sed & Quirites, aliosque multos. Libri etiam 9. cap. 3. includitur parenthesi, quasi verò propter hanc causam desinat esse figura sententiæ, aut natura mutetur propter parenthesin.

2. *Sed Apostrophe*] Est Apostrophes quædam divisio ex variis personarum adjunctis, & exemplis delectissimis illustrior efficit.

3. *Negat*

3. *Negat fuisse rectum Cato*] Muræna designatus Consul à Catone accusatus est, quòd populum largitionibus corrupisset, malisque artibus consulatum obtinisset. Cicero eum defendit.

4. *Eruet ille Argos*] Fingitur Æneas descendere ad inferos, ut futuros casus à patre Anchise doceatur, & ex eodem intelligat, quæ sit imperii Romani ventura series & magnitudo.

5. *Templa temerata*] Templum Minervæ Ajax Oileus temeraverat, stupro illato Cassandræ virgini & sacerdoti. Itaque irata dea eum fulmine, totamque classem percussit, ut est Æneid. primo.

6. *Serrane*] Hic ab aratro ad Dictaturam vocatus est.

Quò sessum] Trecenti Fabii soli ad bellum profecti, simul eodem die interfecti sunt.

Maximus ille est] Fabius Maximus cunctando, suaque patientia juveniliter exultantem Annibalem fregit: unde illud est Ennii:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

7. *Alias ab hominibus*] Altera species Apostrophes est ab hominibus ad deos. quod exemplis declaratur tribus.

8. *Hiscè omnibus Catilina*] Optat Cicero de Catilinariis vindictam divino quodam numine ac potestate, atque imperium Romanum conservari. Hic autem animadvertendum est, deprecationem sæpius comprehendere.

9. *Quem Statorem*] Stator Jupiter dictus est, quia sistere credebatur milites Romanos jam penè in fugam conversos à Latinis, ut est apud Livium libro 1.

10. *In Apostrophe invocatio*] Affinitas Apostrophes cū deprecatione & optatione declaratur duob. exemplis poeti-
cis. Deprecatio ea est, quæ *δέσσις* Græcè appellatur: quæ sub Apostropha comprehendimus, ut aliquam sub genere specie. Sic pro domo M. Tullius: Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Rom. optimū: propter vim maximum nominavit, &c. Ovid. 1. Fastorum:

Jane biceps, anni tacite labentis origo,

Dexter ades Ita Metamorph. 1.

—Dii ceptis aspirate meis.

Ex hac quidè ad Deos. Ad homines autem, ut pro Ame-

rino: Te quoque M. Fanni, quaeso, pro Quintio. Te C. Aquili, vosque qui adestis in iudicio, orat atque obsecrat. Sed & res alias deprecamur: ut Miloniana: Vos Albani tumuli. Cicer. 5. Tuscul. sic ad Philosophiam sermonem convertit. Ad te confugimus, a te opem petimus. Optatio vero habet significationem voti alicujus: ut pro Muræna: Dii faxint, ut meus collega, vir fortissimus, hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat. Et pro Rabirio perd. reo: Utinam mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc prædicare, C. Rabirii manu Lucium Saturninum hostem populi Romani interfectum. Ovidius Epistola Penelopes ad Vlysssem:

*Utinam, tunc cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insans esset adulter aquis.*

Idem Pastor. 1.

Diique petitorum, dixit, salvet locorum:

Tuque, novos caelo terra datura deos.

11. *Alias ad rem*] Tertia & postrema species aversionis superest, quando a personis ad res mutas & inanimatas oratio detorquetur.

12. *Religiones me hercule*] Loquitur de Clodio, quem merito interfectum vult, poenasque luisse, quippe qui tam fuisset in deos impius, ut eorum aras disturbasset.

13. *Hæc figura*] Saepè fit exordium per Apostrophen, ut quando iræ & indignationis species repræsentatur. Exemplum 1. Catilin. omnibus esse planum video. Cæterum, ne quid sciens prætermittam, ad hanc figuram plerique interrogationem referunt, id est, ἐρωτησῶ, eamque omnibus animorum affectibus accommodant. Nos tamen malimus ad Prolepsin, de qua paulo post, omnino revocare.

CAP. 33. DE PROSOPOPOEIA.

Prosopopœja 2 fictio personæ, qua velut alienam personam oratione nostra loquentem fingimus. 3 Hic verò ornamentum elocutionis singulare est, magneque in primis audaciæ: ideoque magno

gno consilio iudicioque regendum, ut consentaneis personis oratio tribuatur. Poeticum sané ornamentum, & quo uno poëtarum laudes præcipuè dijudicantur. In pictoribus Polygnotus præstantiores, Pauson deteriores, Dionysius similes rerû imagines faciebat. Sic in poëtis Homerus meliores, Hegemon peiores, Cleophon pares personas exprimebat: quinetiam Euripides, quales essent, Sophocles, quales esse deberent: ut Homerus & Sophocles tota poëtica imitationis laude merito principes habeantur. ⁴ Itaque si usquam, certè in hac conformatione ratio decori diligenter habenda est: qua de re prudenter monemur ab Horatio in Arte:

Intererit multùm Davusne loquatur, herusve,
Maturusve senex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorve virentis agelli:
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.

⁵ Prosopopœja est imperfecta, vel perfecta. Prosopopœja imperfecta est, cum sermo aliena personæ leviter & obliquè representatur. Cæs. 1. Comm. de legatis Helvetiorum: ⁶ Qui dicerent sibi in animo esse, sine ullo maleficio iter per provinciam facere: propterea quòd iter nullum haberent aliud: rogare, ut ejus voluntate id sibi facere liceat. Pro lege Manil. ⁷ Hi vos (quoniam liberè loqui non licet) tacitè rogant, ut se quoque, sicuti cæterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis. ⁸ Prosopopœja perfecta est, cum tota fictio personæ oratione nostra representatur: quo in genere & accessus ad prosopopœjam.

Et recessus decorus in primis esse debet. Sic pro Cæ-
 lio excitatur Appius Cæcus ad objurgandā Clodiæ
 » libidinē.⁹ Existat ¹⁰ igitur (ait Orator) ex hac fa-
 » milia aliquis, ac potissimum Cæcus ille: minimum
 » enim dolorem capiet, qui istā non videbit: qui pro-
 » fectō si extiterit, sic aget, Et sic loquetur. Hic appa-
 » ratus est ad speciem quandam prolusionis: deinde
 » vox Et oratio Appii fingitur: Mulier, quid tibi cū
 » Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum
 » alieno? cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurū
 » commodares? aut tam inimica, ut venenum time-
 » res? Non patrem tuum videras, non patruum, non
 » avum, proavum, at avum audieras Consules fuisse?
 » non deniq³ modō te ¹¹ Q. Metelli matrimonium
 » tenuisse sciebas, clarissimi Et fortissimi viri patriæ-
 » que amantissimi, qui simul ac pedem limine extu-
 » lerat, omnes propē cives virtute, gloria, dignitate
 » superabat? cui cū ex amplissimo genere in fami-
 » liam clarissimam nupsisses, cur tibi Cælius tam con-
 » junctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris?
 » nihil horū. Quid igitur fuit, nisi quædā temeritas,
 » ac libido? nonne te, si nostra imagines viriles non
 » commovebant, ne progenies quidem mea Et illa
 » ¹² Claudia emulā domestica laudis in gloria mu-
 » liebri esse admonebat? Non virgo illa ¹³ Vestalis
 » Claudia, quæ patrem complexa triumphantem, ab
 » inimico Tribuno plebis de curru detrahi passa non
 » est? Cur te fraterna vitia potius, quā bona pater-
 » na Et avita, Et usque a nobis cū viris, tum etiam
 » in fœminis repetita, moverunt? Ideone ego pacem
 » Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorū quoti-
 » die fœdera ferires? Ideo aquā adduxi, ut ea tu in-
 » cestē

‘*esté uterêre? Ideó viam munivi, ut eam tu alie-
nis viris comitata celebrares? Hæc prosopopœja est
Appii Claudii: ad quam deponendam, brevis re-
vocatio ad extremũ ponitur his verbis: 14 Sed quid
ego (judices) ita gravem personam induxi? ut
verear, ne se idem Appius repenté convertat, &
Cælium incipiat accusare illa sua gravitate censo-
ria. Sic Aeneæ prosopopœjam Virgilius Aeneid. I.
composuit, cum Aeneas sociis cibum vinumq;*

15 Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet:
O socii (neq; enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos: vos & Cyclopea saxa
Experti: revocate animos, mœstumq; timorem
Mittite: forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert, curisq; ingentibus æger,
Spem vultu simulat, premit altum corde dolo-
rem.

Hic poëta Aeneam nõ humeris, sed verbis ita sus-
tinuit, ut Aeneas ipse Aeneam veriùs exprimere
non potuerit. 16 Eadem figura licet mutis & inani-
matis rebus sermonem dare: cujusmodi illa sunt in
Catilinam majorum laterum, cum patriam lo-
quentem Orator inducit: 17 Site (ait) parentesti-
merent atq; odissent tui, neq; illos ulla ratione pla-
care posses: ut opinor, ab eorum oculis aliquó con-
cederes: nunc te patria, quæ communis est omnium

„ nostrum parens, odit ac metuit, & jam diu de te
 „ nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare: his ius
 „ tu neque auctoritatem vereberis? neque iudicium
 „ sequere? neque vim pertimesces? ¹⁸ Quae tecum
 „ Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur:
 „ Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per te:
 „ nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium
 „ necesse, tibi vexatio, direptioque sociorum impuni-
 „ ta fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges,
 „ & quastiones, verum etiam ad evitendas perfrin-
 „ gendasque valuisti. Superiora illa quanquam fe-
 „ renda non fuerunt, tamen ut potui, tuli: nunc vero
 „ me totam esse in metu propter te unum, quicquid
 „ increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri con-
 „ tra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere ab-
 „ horreat, non est ferendum. Quamobrem discede,
 „ atque hunc mihi timorem eripe, si est verus, ne op-
 „ primar: sin autem falsus, ut tandem aliquan-
 „ do timere desinam. ¹⁹ Hac si tecum, ut dixi, pa-
 „ tria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si
 „ vim adhibere non possit? Hic vides quam decorè
 „ & suscepta & deposita sit persona. Et paulo post
 „ talis in eadem oratione prosopopœja Reipub. Et-
 „ enim si mecum patria (qua mihi vita mea multo
 „ est charior) si cuncta Italia, si omnis Respub. loqua-
 „ tur, M. Tulli, quid agis? &c. Tandem persona
 „ ita deponitur: His ergo sanctissimis Reipub. voci-
 „ bus, & eorum hominum qui idem sentiunt, menti-
 „ bus pauca respondebo. ²⁰ Sed satis de prosopopœje
 „ schemate, quo tanquam aliquo in scenis pegmate,
 „ quævis non solum hominum, sed etiam Deorum
 „ persona a poetis effingitur. Quapropter isto poeti-
 „

et spiritu orator velut afflatus, in primis admirabilis est.

A D C A P . 33 . D E P R O -

profopœja.

1. Superest logismus postremus, nempe Profopopœja, id est, unius oratio. Cic. 3. de Oratore appellat fictâ personarum inductionem. Sic Fab. 9. lib. Fictiones personarum appellantur & commendâtur. Inter figuras imprimis illustres, & quibus oratio varié ornatur, ea principem quendam locum tenet, qua personas vel res ipsas loquentes oratione nostra sustinemus. Quintilianus item II. cap. I. sermocinationem vocat: Ubi puerorum (inquit) fœminarum, populorum, mutarum etiam rerum assimilamus affectus, quibus omnibus debetur summus decor. Auctor ad Herenn. 4. sermocinationem fieri ait, cum alicui personæ sermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis. Exemplum repete bene longum ad finem pené lib. ejusdem.

2. *Fictio personæ*] Profopopœjæ definitio & commendatio ex adjuncto decoro, quod nobiles artifices in primis observare debent in hac personarum fictione, per comparationem ductam à pictoribus.

3. *Hic verò*] Utilitas Profopopœjæ ostenditur Aristotelis testimonio, quod ponitur initio lib. de Arte Poëtica, quo loci propter Profopopœjam, Homerum & Sophoclem commendat.

4. *Itaque si usquam*] Clauditur Profopopœjæ commendatio, ejusque decorum testimonio Horatii declaratur.

5. *Profopopœja est imperfecta*] Profopopœjæ distributio est ex adjunctis in imperfectam & perfectam. Imperfectæ definitio ornatur duobus exemplis. De hac sic Fab. Illa audaciora, & majorû (ut Cicero existimat) laterum, fictionses personarû, quæ *λογισμὸν ποιοῦσι* dicuntur. Miré namq; tum variant orationem, tum excitant. His etiam ad versariorû cogitationes velut secum loquentiû protrahimus: quæ tamen ita demû à fide non abhorrent, si ea loquutos finxerimus, quæ cogitasse eos nō sit absurdum. Et nostros cum aliis sermones, & aliorum inter se

credibiliter inducimus: & suadendo, objurgando, quærendo, laudando, miserando personas idoneas damus. Quin deducere Deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare concessum est. Urbes etiam populi que vocem accipiunt. Ac sunt quidam, qui has demum Prosopopœjas dicant, in quibus & corpora & verba fingimus. Exempla multa è Cicerone petere possumus, præter ea que hinc adducuntur à nostro Rhetore: sunt enim duæ, Oratione pro Planco: plures Ligariana: crebræ Verrinis, & deniq; Verrina I. una Siciliae, altera Siculorum, &c. non enim singulas hinc numerare constituimus.

6. *Qui dicerent*] Anno urbis 648. L. Cassius Consul unâ cū legato L. Pisone ab Helvetiis Tigurinis interfectus est, ejusque exercitus sub jugum missus. Anno verò 693. Orgetorix dux Helvetiorum de occupanda Gallia consilium cepit. Helvetii in Gallias irrupturi per provinciam ad Rhodanum convenere, quibus à Cæsare transitus negatus est. tandem illi justo prælio victi ab eodem ad Ararim, sese dediderunt.

7. *Hi vos tacite*] Verba Ciceronis ex oratione Pompejana, quib. imperfecta Prosopopœja, personam sustinet. Sic I. in Verrem: Dicebam eos habere Q. Cæcilium, qui præsertim quæstor in eadem provincia post me fuisset.

8. *Prosopopœja perfecta*] Perfectæ Prosopopœjæ definitio exornatur primùm duobus adjunctis, præparatione & depositione, quæ alio modo appellantur accessus, & recessus: deinde appositione duorum exemplorum.

9. *Existat igitur*] Cicero sub persona Claudii cæci vehementissimè Clodiam impudicam mulierem, Clodii turbulenti & nefarii hominis sororem increpat.

10. *Existat*] Hinc primò ponitur apparatus, seu præparatio Prosopopœjæ lōgè pulcherrimæ. quem apparatus imitati sunt Oratores in musicis, qui antequam seriò cantant, videntur aliquid præludere: id τὸ ἀεὶολοῦν est.

11. *Q. Metelli matrimonium*] Hic Metellus Clodiam ob adulteriū repudiavit: ideo ait Cicero eam tenuisse matrimonium ejus tanti viri.

12. *Clodia emulam*] Plin. de viris illustribus cap. 46.

13. *Vestalis Claudia*] Val. Max. lib. 5. cap. 4.

14. *Sed*

14. *Sed quid ego*] Depositio Prosopopœjæ.
 15. *Dividit & dictis*] Æneas socios longa jactatione fatigatos, oratione opportuna, eaque cordata solatur.
 16. *Eadem figura*] Prosopopœja etiam flagitur brutorum sermo, rerumq; anima carentium, ut deinceps Italia loquens inducitur à M. Tullio.
 17. *Si te parentes*] Contendit Cicero, Catilinæ discedendum esse, in apparatu Prosopopœjæ, hoc modo: Si parentes te intueri nolent, discederes longé ab eorum oculis. Patria, communis parens te odit. sic enim tibi irata loquitur.
 18. *Qua tecum*] Hic præparatio est.
 19. *Hæc si tecum*] Depositio Prosopopœjæ.
 20. *Sed satis*] Concluditur præceptum Prosopopœjæ.

CAP. 34. DE ADDUBITATIONE.

¹ Logismus sententiarum adhuc fuit: sequitur dialogismus, qui est in interrogatione & responsione. ² Interrogatio deliberatione & occupatione figuratur. Deliberatio est, cum varias tanquam consultationis rationes subinde interrogamus, quo in genere suspensis diutius audientium animis, aliquando inexpectatum quidpiam majus aut minus expectatione statuit. Deliberatio est in addubitatione aut communicatione. ³ Addubitatio seu ἀπορία, est deliberatio nobiscum. Pro Cluent. ⁴ Equidem quod ad me attinet, quò me vertam, nescio: negem fuisse illam infamiam corrupti judicii? negem illam rem agitatam in concionibus? jactatam in judiciis? commemoratam in senatu? evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam? Non est nostri ingenii: vestri auxilii est (judices) hujus innocentia, sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima

flamma, atque in communi incendio subvenire.
Aeneid. 4.

⁵. En quid agam? rursusne procos irrita priores
 Experiar? Nomadumq; petam connubia sup-
 plex,

Quos ego sum toties jam dedignata matros?
 Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrûm
 Jussa sequar? —

Tandem responsio addubitationis sequitur:

Quin morere, ut merita es, ferroque averte do-
 lorem.

⁶. *Philip. 2.* *Quid putem? contemptum ne me? non*
video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis,
nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despice-
re possit Antonius. An in senatu facillimè detrahi
posse credidit? Atqui ordo clarissimis civibus bene
gestæ Reip. testimonium multis, mihi uni, confer-
vata dedit. An decertare mecum voluit conten-
tione dicendi? hoc quidem beneficium est. Quid
enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me.
& contra Antonium dicere? Illud profectò est:
non existimavit sui similibus probari posse, se esse
hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.

AD CAP. 34. DE ADDUBITATIONE.

1. Transit à figuris quinq; sententiarû, quæ fuerunt in
 logismo, id est, simplici cõsideratione, uniusq; sermone,
 ad eas quæ sunt in dialogismo, ubi conjuncta quædam
 propter interrogationem & responsionem considerantur.

2. *Interrogatio deliberatione* } Interrogationis divisio in
 partes duas, Deliberationem & Occupationem. Delibe-
 ratio definitur primùm.

3. *Addubitatio seu ἀπορία* } Describitur addubitatio quæ-
 admodum ferè à Quintiliano lib. 9. c. 2. Affert aliquam
 fidem

fidem veritatis dubitatio; cum simulamus quærere unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum omnino sit. Leg. 4. ad Herenn.

4. *Equidem quod ad me*] Accusatus fuerat Cluentius, quod iudices corrupisset, cuius Cicero patrocinium suscepit: hocque in loco rei afflicti miseriam quodammodo deslet, quasi inops argumentis.

5. *En quid agam?*] Dido ab Ævea relicta seipsam miseris modis excruciat, & quid opus sit facto, addubitat. Cum hoc exemplo adijunge & aliud ex eodem lib. quo ancipitem & dubium Æneæ animum facit:

Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem

Audeat affatu? quo prima exordia sumat?

6. *Quid putem?*] In Ciceronem fuerat invecus Antonius verbis atrocissimis. Et ergo respondetur Philippica: in cuius initio ponitur hæc addubitatio. Passim hoc schemate utitur M. Tullius: ut Ligatiana: Itaque, quomodo me vertam nescio. Verrina ultima: *Quid agam? Iudices? quomodo accusationis meæ rationem conferam? quomodo me vertam?* Pro Amerino: *Quid primum queram? aut unde potissimum, iudices, ordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populi Romani?*

C A P. 35. DE COMMUNICATIONE.

¹ *Communicatio vel ἀνακοινωνία, est deliberatio cum aliis.* ² *Pro Quintio: Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam socius & affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controversia de re pecuniaria recens intercedit: postulatione à Pretore, ut ejus bona mihi possidere liceat? an cum Roma domus ejus, uxor, liberi sint, domum otius denuntiem? quid est quod hæc tandem de re*

» vobis possit videri? Profectó si recté vestram boni-
 » tatem atque prudentiam cognovi, non multum
 » me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: pri-
 » mùm expectare, deinde si latitare ac diutius ludifi-
 » care videatur, amicos convenire, querere quis pro-
 » curator sit? domum denuntiare: dici vix potest
 » quàm multa sint, quæ respondeatis anté fieri oport-
 » tere, quàm ad hanc rationem extremam ac neces-
 » sariam devenire. Verr. 7. In³ Triocalino (quem lo-
 » cum fugitivi jam anté tenuerunt) Leonida ejus-
 » dem Siculi familia in suspicionem vocata est con-
 » jurationis: res delata est ad istū: statim (ut par fuit)
 » jussu ejus, homines qui nominati erāt, comprehensi
 » sunt adductique Lilybæum: domino denuntiatum
 » est, ut adesset: caussa dicta damnati sunt. ⁴ Quid
 » deinde? quid censetis? furtum fortasse aut prædam
 » expectatis aliquam: nolite usquequaque eadem,
 » querere, in metu belli furandi quis locus potest es-
 » se? etiam si qua fuit in hac refurandi occasio, præ-
 » termissa est. Tum potuit á Leonida nummorum
 » aliquid auferre, cum denuntiavit ut adesset: fuit
 » nundinatio aliqua, & isti non nova, ne caussam di-
 » ceret: etiam alter locus ut absolveretur: damnatis
 » quidem servis, quæ prædandi potest esse ratio? pro-
 » duci ad suppliciū necesse est: testes enim sunt, qui in
 » consilio, fuerunt: testes publica Tabula: testis splen-
 » didissima⁵ civitas Lilybetana: testis honestissimus
 » maximusq; conventus civium Romanorum. ni-
 » hil potest, producendi sunt: itaq; producuntur, &
 » ad palum alligantur. Etiamnum mihi expectare
 » videmini, iudices, quid deinde factum sit: quód iste
 » nihil unquam fecit sine aliquo questu atque præ-
 » da.

da. Quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commo-
 dum est? Expectate facinus quam vultis impro-
 bum: vincam tamen expectationem omnium. No-
 mine sceleris conjurationisq; damnati, ad suppli-
 cium traditi, ad palum alligati, repente multis mil-
 libus hominum inspectantibus, soluti sunt, & Leo-
 nida illi domino redditi.

A D C A P. 35. D E C O M M U -
 nicatione.

1. Describitur Communicatio, & duobus exemplis de-
 monstratur. Cic. 3. de Orat. Cōmunicatio est quasi cum
 ipsis, apud quos dicas, deliberatio. Fab. veró lib. 9. c. 2. A
 Dubitatione nō procul abhorret Communicatio, cūm
 aut ipsos adversarios cōsulimus, aut quando cum judi-
 cibus deliberamus, quod est frequentissimum. ut pro
 Rabirio perduellionis reo: Tu denique, Labiene, quid
 faceres, tali in re ac tempore? Idem schema est Act. 2. in
 Verrem: Nunc ego, Judices, jam vos consulo quid mihi
 faciendum putetis. Sed jam reliqua videamus.

2. Ego pro te nunc] Nævius & Quintius certam pecuniæ
 summam contulerant, sed alter socium fructu & lucro
 privare voluit: quamobrem Cicero pro Quintio dixit
 contra Nævium. Sic pro Cæcinnæ: Te uti hac in re ma-
 gistro volo: quæro sitne aliqua hujus rei actio, an nul-
 la? In Verrem 2. Nunc jam vos consulo, quid mihi fa-
 ciendum putetis.

3. In Triocalino] Verris improbitas, & avaritia impudens
 augetur ex liberatione reorum, qui damnandi erant.
 Cæterum hæc figura olim quibusdam referebatur ad
 sustentationem: sed quia cum Cōmunicatione eadem
 fit, idcirco ei tribuatur.

4. Quid deinde?] Communicatio est hîc adnotanda.

5. Civitas Lilybetana] Lilybæum fuit promontorium in
 Sicilia versus Libyam, unde nomē habuit. fuit etiã urbs
 ejusdem nominis. His exemplis hæc adjiciam. Oratio-
 ne 1. in Verrem deliberat Orator cum adversario: Tu

Cæcili quid facies? utrum hoc tantum crimen prætermitteres? an objicies? Pro Sextio sic: Hæc cum viderem, quid agerem, Judices? scio enim tum non mihi vestrum studium, sed meum propè vestro defuisse. contenderem contra tribunum plebis privatus armis? & deinde: Quid si in prima contentione vi tribunitia victus in foro, cum multis viris bonis concidissem?

CAP. 36. DE OCCUPATIONE.

¹ Atque ejusmodi est dialogismus deliberationis: dialogismus occupationis sequitur, cum alieni consilii interrogationem occupamus, eique responsionem subjicimus. ² Ideoque dialogismus hic à priori parte occupatio, à posteriore subjectio dicitur: Græcè ἀεὶ ἀντιῶς appellatur. Occupatio ferè prosopopœjam conjunctam habet: ³ ideoque aliàs obliqua, aliàs perfecta est. Pro Amer. ⁴ Credo ego vos (judices) mirari, quid sit cum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, &c. Tandem responsio subjungitur. Quæ me igitur res præter ceteros impulit, ut causam Sexti Roscii reciperem? quia si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, &c. multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur, &c. Ego si omnia liberè dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit. Sic Verr. 1. Si quis vestrum, judices, aut eorum qui adsunt, fortè miratur, &c. Sic pro Cæl. Si quis (judices) fortè nunc adsit, ignarus legum, judiciorum consuetudinis nostræ: miretur profectò. Est prolepsis hæc proœmiis valdè accommodata. ⁵ Occupatio plena est, quæ plenam prosopopœjam habet. pro Cæl. ⁶ Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disci-

disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit, ut in amore & voluptatibus adolescentiam suam collocaret? & hanc tu vitam ac studia defenderes? ⁷ Ego, si quis (iudices) hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiae fuit, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitam suam cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non equalium studia, non ludi, non convivium delectarent, nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum: hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornamentum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror ⁸ Camillos, Fabricios, Curios, omnesque eos qui hac ex nimis tanta fecerunt. Occupamus aliquando isto genere cogitationem nostram, & objicimus adversario, ipsumque respondentem contra singimus. Pro Quint. ⁹ Dere pecuniaria cupio contendere: non licet. At ea controversia est: nihil ad me attinet. Causam capitis dicas oportet. Accusa, ubi ita necesse est. Non (inquit) nisi tu ante novo modo, priore loco dixeris. Dicendum necessarium est: praestituenda hora ad arbitrium nostrum. Iudex ipse arcessetur: quid tum? tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii, qui splendorem nostrum & gratiam negligat?

AD CAP. 36. DE OCCUPATIONE.

I. Transito á dialogismo deliberationis ad Occupationem. Occupatio primúm definitur, diversaque nominis ratio redditur. De qua sic auctor ad Herenn. lib. 4. ubi

occupationem quidem nominat, sed eandem cum præteritione facit: subjectionē tamen appellat, cum interrogamus adversarios, & quærimus ipsi quid ab illis, aut quid contra nos dici possit: deinde subjicimus id quod dici oportet, aut quod non oportet. Græci *πρόληψιν* & *πρόκειν* *πρόληψιν*, Cic. 3. de Orat. anteoccupationem, & Oratore perfecto antepremunitionem vocat, neq; definitionem adjungit. Fab. lib. 4. c. 1. Non inutilis est aut in exordiis ratio occupandi quæ videntur obstare. ut Cicero dicit Actione 1. in Verrem, scire se mirari quosdam, quod is, qui per tot annos defenderit multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit: deinde ostendit hanc ipsam sociorum defensionem: quod schema *πρόληψις* dicitur. Id cum sit utile aliquando, nunc à declamatoribus quibusdā pené semper assumitur, qui fas non putant nisi à contrario incipere.

2. Itaq; *Dialogismus*] Ejus figuræ nomina duo: primum appellatur *Occupatio*, quando sermo alienus fingitur: alterum *Subjectio*, quando respondemus. In hac itaque priore nihil præter interrogationem: in altera verò & interrogationem & responsum esse putant oportere. Subjectionis hoc nobis exemplū occurrit ex Miloniana: Cur igitur victus est: quia non semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur. Pro Sylla: Cur dixisti testimonium in alios? quia coactus. cur damnati sunt? quia creditum est. Pro Archia: Quæres à nobis, Gracche, cur rãtopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures convicio defessæ conquiescant. Interrogationis exempla innumerabilia passim occurrunt: itaque lubens transilio.

3. *Ideoq; aliàs obliqua*] Occupationis distributio in obliquam & perfectam, sicuti in *Prosopopœja*, de qua jam antè.

4. *Credo ego vos*] M. Tullius se excusat, quod unus ex omnibus suggestum conscenderit ad Sex. Roscium paricidii reum defendendum, cum tot essent Oratores omni laude & facultate præstantes, à quibus id muneris obiri longè melius posse videretur.

5. *Occu*

5. *Occupatio plena*] Definitur occupatio, & appositis duobus exemplis ornatur.

6. *Dicet aliquis*] Occupatur eorū objectio, qui Cicero- nem reprehenderent, quod adolescentē profligatum ac perditū M. Cælium defenderet: quodq; impensius ado- lescentiæ vitia excusaret. Sic in Verrem 6. Dicet aliquis: Noli isto modo agere cum Verre: noli ejus facta ad an- tiquæ religionis rationem exquirere. & 7. Quid dices? an bello fugitivorum Siciliam virtute tua liberatam?

7. *Ego si quis*] Subjectio & responsio ad interrogatio- nem sequitur.

8. *Camillos, Fabricios, Curios*] Hos viros innocentia vitæ commendabiles, & præclaros administrandæ Reipub. artifices M. Tullius sæpenumero honorificè appellat.

9. *De re pecuniaria*] Videtur esse Nævii & Quintii ser- mocinatio: Illius, Quintiū in jus vocantis: hujus adver- sario respondentis. Addamus & hoc é Ligariana: Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cū hoc sciret, tamen antequam me vidit, Reipub. reddidit. & 7. Verrina: Quid censetis? furtum fortasse, aut prædā ex- pectatis aliquam: nolite usquequaq; quidem quærere.

CAP. 37. DE PERMISSIONE.

¹ Ergo hæc sunt interrogationis figura, in delibe- ratione & occupatione. Responsio permissione & concessione figuratur. Permissio est, cū facti cu- juspiam licentia condonatur. Agrar. 2. ² Siquid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quanquam iniquum est, tamen consume sanè, quoniam commodum est, quoniam tu quidem attulisti. ³ Aliquando ironia permiscetur. AEneid. 4.

⁴ — nunc & Jove missus ab alto

Interpres divūm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello;
I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.

Ironia in sequenti exemplo apertior est. Pro
 Flacco: ⁵ *Litemus igitur Lentulo, parentemus Ce-*
thego, revocemus ejectos: nimia pietatis & summi
amoris in patriam vicissim nos poenas (si ita diis
placet) sufferamus.

AD CAP. 37. DE PERMISSIONE.

1. Responsionis figuræ duæ supersunt, Permissio & Cō-
 cessio: quæ inter se hac ratione tantum differunt, quod
 Permissio fit in factis, in dictis autem Concessio. Descri-
 bitur primum Permissio, & expolitur tribus exemplis.
 Auctor ad Herennium sic: Permissio est, cum ostendi-
 mus in dicendo nos aliquam rem totam tradere & con-
 cedere alicujus voluntati. Quintil. lib. 2. cap. 2. Est per e-
 idem fons, inquit, illius quam Permissionem vocant, qui
 communicationis, cum aliqua ipsis iudicibus relinqui-
 mus aestimanda, aliqua nonnunquam adversariis quo-
 que: ut Calvus Vatinio: Perfrica frontem, & dic te di-
 gniozem qui Prætor fieres quam Catonem.
2. *Si quid est*] Alloquitur Rullum trib. plebis, qui vole-
 bat leges Agrarias promulgare.
3. *Aliquando ironia*] Sæpe hac figura, ea condonantur
 quæ condonanda non videntur, ut sequentibus osten-
 ditur exemplis.
4. *Nunc & Jove*] Verba Didonis ad Æneam, qui à Mer-
 curio mandatum se accepisse dicit, ut Carthagine cedat.
5. *Litemus igitur*] Litare est deos placare precibus, à no-
 mine λιτή, preces. Parentare est iuxta mortuorum cele-
 brare & persolvere. Quod ergo Cicero reprehēderetur
 à quibusdam malevolis hominibus, quod Consul inter-
 fecisset conjuratos deprehensos Lentulum, Cethegum,
 Gabinium, Statilium, Ceparium, ut iis respondeat, hac
 utitur permissione ironica.

CAP. 38. DE CONCESSIONE.

¹ *Concessio est, cum dictum aliquod aut argu-*
mentum condonatur. Verr. 7. Sit sacrilegus, sit fur,
sit fla-

fit flagitiorum omnium vitiorumq; princeps: at est bonus imperator. *Aeneid.* 10.

² Italiam petiit fatis autoribus: esto.

Aeneid. 7.

³ Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis:
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

⁴ Delectat hoc ornamentum in oratione precipue, cum id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet: ut saepe fit in contentionibus & controversiis. *Pro Ligario:* Habes igitur Tubero (quod est accusatori maxime optandum) confitentem reum: sed tamen hoc ita confitentem, se in ea parte fuisse, quate Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligari ullam culpam reprehendatis.

AD CAP. 38. DE CONCESSIONE.

1. Concessionem definit, & appositis quatuor exemplis declarat. Ea Cicero non videtur separare a Permissione, neq; ei diversum nomen tribuit. *Fab.* autem lib. 9. cap. 2. Concessio fit, cum aliquid, etiam iniquum, videmur causse fiducia pati. Metu virgatum Navarchus nobilissimae civitatis precio redemit, humanum est. Et pro Cluentio, de invidia: Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis. *Verina* 7. Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omnium vitiorumq; princeps: at est bonus imperator. *Virg.* 2. *Eclog.*
Pallas quas condidit arces ipsa colat.

2. *Italiam petit*] Cum Venus Jovem deprecatur pro Troianis, Juno illi irascitur. Et 4. *Aeneid.*

Esto: agram nulli quodam flexere mariti.

3. *Flectere si nequeo*] Verba Junonis indignantis, quod non posset Italia Troianos arcere, pollicentisque functum conjugium Laviniae futurum.

4. Delectat hoc] Concessio laudatur effectis, quod ut
geat adversarium.

CAP. 39. DE EPILOGO
elocutionis.

¹ Atque hæc de ornamentis elocutionis: quæ
quo plura concurrerint, eo pleniorum ornatum o-
rationis efficiant necesse est: ut in illo exemplo Li-
gariana defensionis: Certè contra ipsum Casarem
est congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus
ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cu-
jus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armo-
rum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor
animi? quid cupiebas? quid optabas? Hic metony-
mie varia sunt: gladius, armorum, pro subjecto ho-
mine: sed metaphora sunt illustriores, ardor: in pri-
misque ille sensum & actum tribuentes rebus ina-
nimatis, gladio, mucroni, armis agebat, petebat,
sensus: tum synecdoche, mucro pro gladio, latus pro
toto homine: tum in verbis, agebat, petebat, cupie-
bas, optabas, sunt epistrophe soni: tametsi in clausu-
la illa (mucro petebat) numerus est poëticus: deni-
que in sententia tota, est apostrophe vehementis &
instantis interrogationis. Quibus omnibus tropo-
rum figurarumque generibus sic usus Orator esse
dicitur, ut Casari quamvis & iudici & adversa-
rio, tamen velut incantato & stupefacto, color va-
riè mutatus sit, & libelli quidam e manibus exci-
derint. Illa videlicet Platonis *ὑπερία* fuit, illaque
flexanima, dominaq; summi Imperatoris oratio.

AD CAP. 39. DE EPILOGO
elocutionis.

1. Atque hæc] Clauditur doctrina hæc prima Tropo-
rum

rum & figurarum, in quibus tota Elocutio sita est, in eademque oratione figuras cum tropis permisceri posse, singulari M. Tullii exemplo declaratur.

2. *Mucro petebat*] Propter apostrophen hoc vitium accidit, quia antecessit illud (gladius agebat) Ut igitur Cicero responderet sono, in vitium incidit.

3. *Ut Casari*] Testis est Plutarch. Cicerone dicente pro Ligario, ea vi verborum Casarem permotum, ut excitatus ille contremuerit, & libellos quosdam e manu eiecerit. Refero huc nobilem illam ex oratione in Pisonem periodum, ornamentis variis luminibusque oratoriis quasi depictam: His ego rebus pascor, inquit, his delector, his perfruor, quod de vobis hic ordo opinatur, non secus ac de teterrimis hostibus. quod non equites Romani, quod ceteri ordines, quod cuncta civitas odit: quod nemo bonus, nemo denique civis est, qui modo se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc precatus sum. Apud eundem mihi semper visus est locus certe floridus & venustus 2. ad Atticum, his verbis: Post hæc si eorum mihi plura ad te scribenda, *ἀγγελας* obscurabo. Nunc quidem novo quodam morbo civitas moritur: ut cum omnes ea quæ sunt acta, improbent, querantur, doleant, varietas in re nulla sit, aperteque loquantur, & jam clarè gemant: tamen medicina nulla afferatur. neque enim resisti sine interneccione posse arbitramur: nec videmus, qui finis cecidendi, præter exitium futurus sit.

L



AUDOMARI TALÆI
R H E T O R I C Æ L I B E R
S E C U N D U S D E P R O -
nuntiatione.

CAP. I. DE PRÆSTANTIA
Pronuntiationis.

PLOCUTIONIS ¹ (quæ primas pars facta est artis Rhetoricæ) præcepta in tropis & figuris exposita sunt: veniamus ad pronuntiationem partem alterã instituta artis & doctrinæ. Pronuntiatio est apta elocutionis enuntiatio. ² Hanc partem Rhetoricæ artis ³ Aristoteles primus animadvertisse videri voluit, viresq; maximas habere docuit exemplo histrionum, quibus agentibus, poëmata logè gratiora sint, quàm si poëta ipsi pronuntiarent. ⁴ Tullius verò Oratorio tertio, cum de Elocutionis ornamentis dixisset, Sed „ hac ipsa (ait) omnia perinde sunt, ut aguntur: actio „ in dicendo una dominatur. sine hac summus Orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus, summos saepe superavit. ⁵ Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum. huic secundas: huic tertias.

rias. Quo mihi melius etiam illud ab Æschine dictum videri solet, qui cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset, rogatus à Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam ⁶ in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam qua erat contra à Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam cum suavissima & maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto (inquit) magis admiraremini, si audissetis ipsum? Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam esse putaret actore mutato. Et certè infantes, actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum tulerunt: & disertis, deformitate agendi, multi infantes putati sunt. Cujus rei magnum argumentum ⁷ Hortensius est, diu princeps Oratorum, postea æqualis Ciceroni, perpetuò autem secundus: cuius tamen scripta tam longè abfuerunt ab illa vivæ eloquentiæ fama, ut appareret, aliquid placuisse eo dicente, quod postea legentes non invenerint. Quamobrem in hac in primis Rhetoricæ partem omnia illa Platonis Aristotelisq; probra justissimè conferentur, omnesq; ὀψοποιίας, κομμώσεως, κολακείας, γυντείας, ψυχασίας insidia in hac una parte reperientur. ⁸ Artis tamen hujus tantæ magistri nobis desunt, Phonnascus, Scenicus histrio, Lanista, Palearicus, Demosthenes & Cicero, id est, verus orator, cuius exemplo eloquentiæ discipulus exerceatur. Itaque tanto majore industria hic opus est, quia magistri illi vivi nusquam sunt, tantumq; picti in libris vix apparent.

AD LIB. 2. RHETORICÆ TALÆI
De Pronunciatione.CAP. I. DE PRÆSTANTIA
Pronunciationis.

Haëtenus Elocutio, prima Rhetoricę pars, descripta & explicata est: jam tandem ad Pronunciationem ventendū. Eam à Cicerone Actionē, (sæpius, à Fabio Pronunciationē appellari certū est, cū sint eæ ambæ species hujus secundę partis Rhetorices. Auctor ad Herennium ita dicit lib. 1. Pronunciatio, est vocis, & vultus, & gestus moderatio cum venustate: quæ bona, efficit ut res ex animo geri videantur, ait Cicero 1. de Inventione. Pronunciatio est ex rerum & verborū dignitate vocis & corporis moderatio. & Oratore ad Brutum: Actio est eloquendi comes, & quasi corporis quædã eloquentia. Idem ad finem 3. de Oratore: Actio quasi sermo corporis: quò magis menti congruens esse debet: ea enim una in eloquendo dominatur. Multa Fab. lib. 11. cap. 3. 2. *Hanc partem Rhetoricæ*] Pronunciationem laudat ex ipsius auctoribus, & variis magnorum virorum testimoniis, quibus concluditur ad extremum, Actionem primas tenere partes in Rhetoricis.

3. *Aristoteles primus*] Ut liquet ex 3. de arte dicendi ad Theodectem, & lib. de Poëtica. Optat enim actionem Oratori esse, qualis fuit olim Theodori tragici histrionis, quoties ad aliorum histrionum vocem cõparabatur. sic enim cujuslibet ætatis, ordinis, sexus, conditionis hominum vocem imitatus fertur, ut non histrionis vox, sed ejus ipsius personæ, quæ loquens inducebatur, esse videretur: cū n aliorum voces histrionum, ut erant, ita etiam alienæ judicarentur.

4. *Tullius verò*] Hæc exscripta sunt ex Ciceronis postremo de Oratore, ad verbum omnino.

5. *Huic primas*] Eadem Demosthenis responsio attingitur etiã à Cicerone aliis in locis. Non sine caussa Demosthenes tribuit primas & secundas & tertias partes Actioni. Et dialogo de claris Oratoribus: Ferunt Demosthenem

Athenem ei qui quæsiuisset, quid primum esset in dicendo? actionem: quid secundum? idem: & idem tertium respondisse. Idem repetitur à Fabio, undecimi lib. cap. 3. exemplumq; etiam ponitur Demosthenis & Æschinis. 6. *In Ctesiphontem* Quia causa factus est exul Æschines, ita paucis referam ex Ulpiano Demosthenis interprete, & M. Tullio. Lex olim fuit apud Athenienses, ne quis scitum populi faceret, ut quispiam aurea corona donaretur in magistratu, antequam rationes retulisset. Cui legi & altera lex adjecta, ut qui corona illa aurea digni essent, in concione populi donarentur. Itaq; quod Demosthenes curator fuisset muris Athenarum reficiendis, eosque sua pecunia refecisset, Ctesiphon eo nomine scitum fecit, ut Demosthenes aurea corona donaretur (quanquam nullas ipse rationes retulisset) idque fieret in theatro, populo convocato. Æschines, qui graves inimicitias cū Demosthene dudum exercebat, Ctesiphontem traxit in iudicium, quod cōtra leges coronam dedisset, quod in theatro, id est, loco nō legitimo, quod rationibus nondum relatis, quod de Demosthene falsa quædam scripisset, quippe qui neq; vir bonus esset, neque de Republica bene meritus. Magna quidē & gravis ea controversia fuit, plenaq; concertationum difficultum inter duos eloquentiæ Græcæ principes. Sed eum tandem exitū habuit. Æschines iudicium sententiis exul factus Rhodum concessit, qua in urbe Rhetoricam docuit. Præter Ciceronem in Bruto & 3. de Oratore, Valerius Maximus lib. 8. c. 10. narrat Æschinem rogatum eorum, apud quos exulabat, suam prius in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissima & suavissima voce recitasse. Admirantibus cunctis utriusque hominis eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis, statim dixisse: Quid si ipsum audissetis? Ex quo significavit quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam esse putaret autore mutato.

7. *Hortensius*] Hunc Oratorem certē nobilem Cicero mirificē cōmendat in Bruto. Ejus oratio in dicendo vehemens fuit & accurata: scripta non itē. Et Galba longē meliūs dixit quā scripsit. Causam reddit Cicero, quia vis

ingenii nō solum, sed & animi, & naturalis quidā dolor dicentem eū incendebat, efficiebatq; ut esset incitata, & gravis & vehemēs oratio: dein cū in ociosus stilum prehenderat, motusq; omnis animi tanquā ventus hominē defecerat, flaccescebat oratio. neq; enim ardor animi semper adest: isq; cū cōsedit, omnis illa vis, & quasi flamma Oratoris extinguitur. Idem accidit Græcis Demadi, & Hyperidi, ac Romanis Hortensio & Galbæ. Imo dicere ausimus cū Valerio Maximo, quo loco verba facit de Demosthenis orationib⁹: In Demosthene magna pars Demosthenis abest, quia legitur potius, q̄ auditur. Et quæ alioqui cōcinnē scripta sunt, nisi pari dignitate vocis agantur, pro inanibus haberi solent. Sic enim Menandri fabulæ placebāt in scena: sed cū domi legerentur, nihil ferē delectationis afferebant. In actione vis animi dicentē inflammat, quo fit ut gravis & vehemens oratio existat: sed cū motus animi deficit, ut ventus aliquis, oratio flaccescit. Id reprehēdit Martialis in quodam nebulone: qui versus elegātes malē pronunciarat:

Quem recitas, meus est, ô Fidentine, libellus:

Sed malē cūm recitas, incipit esse tuus.

4. *Artis tamen hujus*] Mirum videri non debet, si actio, Pronuntiatioq; in oratione soluta tam diu latuerit, cū ferō admodum cognita sit in arte poëtica, in qua multo magis esse necessaria videatur. Quibus enim temporib. inventę sunt Comœdia & Tragœdia, nulli actores, nulliq; histriones fuerunt, quod probare cū nō sit necesse, tantum habeamus: de actione Rhetorica, quanquam nemo tractarit, esse tamen necessarias hujus facultatis præceptiones, ut sunt artis poëticæ. Me quidē Aristoteles docet fuisse quendā Glaucum Teiū, qui de voce & gestibus histrionū pertractarit. Cicero queritur de Orat. 3. quod à Rhetoribus prætermittenda essent agēdi præcepta. Hæc dico pluribus, inquit, quia genus hoc totum Oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt: imitatores autem veritatis histriones occuparunt.

CAP. 2. DE MODERATIONE
VOCIS.

3 *Partes*

¹ Partes pronuntiationis duæ sunt: vox, unde pronuntiatio: & gestus, unde actio dicitur. Atque harum partium altera ad aures, altera ad oculos attinet, per quos duos sensus, ad animum omnis ferè cognitio pervenit. ² Sed de voce prius: cuius bonitas optanda quidē nobis est primū: deinde quæcunque ea fuerit, tuenda & exercenda: ³ sic ut omnia, quæ proferentur sono vocis, rebus quæ dicuntur, accommodato proferantur. ⁴ Vocis autem unum est generale præceptum, ne sit gravissima, nève acutissima. Nam submisso illo murmure debilitatur omnis intentio. contrá autem dicere omnia clamosé, insanum est. Itaque in intermediis inter imum subimumque spatium est consistendum. Atque ad vocem obtinendam (ait Tullius) nihil est utilius, quàm crebra mutatio: nihil perniciosius, quàm effusa sine intermissione cōtentio. Quid? ad aures nostras & actionis suavitatem, quid est vicissitudine & varietate & cōtinuatione aptius? Itaque ad hanc vocis moderationem, Gracchus tantam scientiam & diligentiam adhibuit, ut servum Licinium, literatum hominem & peritum, post se occulto loco haberet, qui concionanti inflaret eburneola fistula sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut á contentione revocaret. In omni quippe voce est quiddam medium: sed suum cuique voci: hinc gradatim ascendere vocem, utile & suave est. Nam á principio clamare, agreste quiddam est: & illud idem ad firmandum vocem est salutare. Deinde est quiddam contentionis extremū, quod tamen inferius est, quam acutissimus clamor: quó te fistula progredi non sinet: & tamen

ab ipsa cōtentione revocabit. Est item contrā quid-
dam in remissione gravissimum, quōque tanquam
sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, &
hic per omnes sonos vocis cursus & se tuebitur, &
actioni afferet suavitatem. Sed fistulæ or domi re-
linquendus, sensus hujus consuetudinis ad usum
deferendus. ⁵ Ista est æquabilitas, cui contrariam
μὲν οὐκ ἔστι Quintilianus cum Cicerone valde item
fugiendam censet. ⁶ Sed enim vocalis hujus varie-
tatis moderatrix esse debet animi cogitatio. Hæc
enim summa causa est pronunciationis, ut vox sit
animi interpret & nuntia. Sunt enim voces, ut
nervi in fidibus: atque ita sonant, ut à motu animi
sunt pulse.

AD CAP. 2. DE MODERATIO-
ne vocis.

1. *Partes pronunciationis*] Definita fuit hætenus & lau-
data pronunciatio: sequitur ejusdem divisio in Voce, &
Gestu, duobus objectis, auriū & oculorum: qui sensus
ministri sunt ad artes suscipiendas, animosq; in primis
permovendos. De hac Rhetoricę parte sunt ea veterum
placita. Dividitur Pronunciatio (inquit auctor ad He-
ren. 3.) in vocis figurā, & corporis motum. Figura vocis
est, quæ suum quēdam possidet habitum ratione & in-
dustria comparatum. Cicero 1. de Oratore: Vox est una,
quæ maximè eloquentiam cōmendat, vel sustinet. Ge-
nera & differentię vocis traduntur ab eodē, 2. de natura
Deorum: canorū, fuscum, lene, asperū, grande, acutum,
flexibile. Idem Oratore perfecto: Cōstat Actio, voce at-
que motu. 3. de Oratore: Oculos natura nobis & aures
ad motus animorum dedit. Item: ad Actionis usum at-
que laudem maximam sine dubio vox optanda est, ut
non sit mollis & muliebris, neq; extra modum absōna
atq; absurda; nō subrauca, sed permanens, Fab. II. cap. 3.

Omniſ

Omnis Actio in duas divisa partes, vocem, gestum que: quarum altera oculos, altera aures movet: per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus.

2. *Sed de voce prius*] Sequitur doctrina vocis, ex causis duabus, quarum prima est in natura: quo nomine ait eam optandam esse, quam nulla diligentia consequi possimus. Sic 3. de Oratore: ad Actionis usum, maximam partem vox obtinet, quæ primam nobis optanda: deinde quæcunque erit, ea tuenda, quod crebra fit mutatione. In Oratore verò ad Brutum: Vocis quidem bonitas optanda est. non est enim in nobis: sed tractatio atque usus est in nobis. Altera causa vocis tota sita est in exercitatione: cujus præceptiones mox statuuntur.

3. *Sicut omnia*] Primum vocis exercendæ præceptum, ut ea sententiæ accommodetur. M. Tull. Orat. perfecto: Volet ille, inquit, qui eloquentiæ principatum petet, & contenta voce atrociter dicere, & summissa leniter; & inclinata videri gravis, & inflexa miserabilis.

4. *Vocis autem unum*] Altero præcepto mediocritatem & æquabilitatem in voce servandam esse monet. Sic M. Tull. 3. Oratorio dial. & Fabius multo pluribus II. lib.

Gracchus tantam] Hæc ad verbum ex Cic. ad finem 3. Orat. dial.

5. *Ista est æquabilitas*] Vocis varietas in vitanda *μνοβολία* etiam præcipitur à Fabio eodem lib. II. c. 3. Eius hæc verba: Prima observatio rectè pronuntiandi æqualitas est, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata summissis: & inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicet sermo. Secunda, varietas est, quæ solum est pronuntiatio. Ac ne quis pugnare inter se putet æqualitatem & varietatem, cum illi virtuti contrarium sit vitium inæqualitas. huic qui dicitur *μνοβολία*, quasi quidam unus aspectus, &c. Deinde sequitur: Vitemus igitur illam, quæ Græcè *μνοβολία* vocatur, una quædam spiritus ac soni intentio, non solum ne dicamus omnia clamosè, quod insanum est: aut intra loquendi modum, quod motu caret: aut submissio murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio.

6. *Sed enim vocalis hujus*] Prima præceptio illustratur

ex causa efficiente, quæ vocem dirigit animo & cogitatione: idque per similitudinem à fidibus. Cicero ad finem 3. de Orat. Omnis motus animi suum quendam à natura vultum habet, & sonum & gestum: totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ut à motu animi quoque sunt pulsæ. Nam voces ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quoque in genere mediocris. Idem perfecto Orat. Vocis mutationes totidem sunt quod animorum, qui maximè voce commoventur.

CAP. 3. DE VOCE IN SINGULIS VERBIS.

Ratio igitur vocis erit in singulis verbis, vel in tota sententia. De verborum autem singulorū pronuntiatione ita Quintilianus precipit: Proponamus nobis (ait) illud Ciceronis in Oratione nobilissima pro Milone principium: nonne ad singulas penè distinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est? Etsi vereor (Judices) ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Etiam si est toto proposito contractum atq; summissum, quia & exordium est, & sollicitū exordium: tamē fuerit, necesse est, aliquid plenius & erectius dum dicit, Pro fortissimo viro: quàm cūm, Etsi vereor: & Turpe sit: & Timere. Jam secunda respiratio increseat oportet, & naturali quodā conatu, quo minus pavidè dicimus quæ sequuntur, & quo magnitudo animi Milonis ostenditur. Minimeque deceat, cūm Titus Annius ipse magis de Reipub. salute, quàm de sua perturbaretur. Deinde de quasi objurgatio sui est, Me ad ejus causam, pa-
rem

rem animi magnitudinem afferre non posse. Tum
 invidiosiora, Tamen hæc novi iudicii nova forma
 terret oculos. Illa verò jam penè apertis (ut ajunt)
 tibiis: Qui quocunq; inciderint, veterem consue-
 tudinem fori, & pristinum morem iudiciorum re-
 quirunt. Nam sequens latum etiam atque fufum
 est. Non enim corona confessus vester cinctus est,
 ut solebat. Quod notavi, ut appareret, non solùm in
 membris caussa, sed etiam in articulis esse aliquam
 pronuntiandi varietatem: sine qua nihil neq; ma-
 jus, neq; minus est. Hæc Quintilianus de pronun-
 tiatione singularum vocum: in qua troporum ge-
 nera, si qua sunt actiosa, reluceant necesse est. Non
 enim aliter Ironia, neque Metaphora illustrior &
 animosior intelligeretur.

AD CAP. 3. DE VOCE IN
 singulis verbis.

I. In duo membra partitur exercendæ vocis præceptum
 primum: aut enim pronuntiatio spectatur in verbis sin-
 gulis, aut in conjunctis, id est, tota sententia. Pars prior
 quæ est in singulis, de pronuntiatione accommodanda
 sententiæ & significationi rerum, ut omnia distinguan-
 tur juxta varietatem & dissimilitudinem affectuum.
 Quod in contextu petitur exemplum è Miloniana, idem
 est apud Quintil. lib. II. cap. de Pronuntiatione.

CAP. 4. DE CANTICO VOCIS.

¹ Sequitur Pronuntiatio totius sententiæ, in qua
 figura omnis generis ² affectusq; comprehendun-
 tur. ³ Figure autem verborum cum totæ sint in nu-
 merosis dimensionibus aut repetitionibus, conti-
 nent illum sine dubio cantum, de quo Tullius &

» Fabius. Est (ait in Oratore Tullius) in dicendo et-
 » iam⁴ quidam cantus obscurior, non hic est Phrygia
 » & Caria Rhetorum epilogus, penè canticum: sed
 » ille, què significat Demosthenes & Æschines, cùm
 » alter alteri obiciat vocis flexiones. Dicit plura et-
 » jam Demosthenes, illumq³ sæpe dicit voce dulci &
 » clara fuisse. Hæc Tullius. Sequentia Fabius, cùm
 » de quodam cantico dixisset. ⁵ Tales sunt (ait) illa
 » inclinationes vocis, quas invicem ⁶ Demosthenes
 » atq³ Æschines exprobrant: non ideo improbandæ:
 » cùm enim uterque alteri obiciat, palàm est, u-
 » trumq³ fecisse. Nam neq³ ille per Marathonis, &
 » Platearum, & Salaminis propugnatores recto sono
 » juravit: neque hic Thebas sermone deflevit. Hæc
 » Fabius, unde cantum quendam orationis de vocis
 » flexione & suavitate adhibitum ab Oratorib. in-
 » telligimus: qui sanè totus est in illis verborum fi-
 » guris. ⁷ Sed tamen etiam cantus ipse permiscetur
 » cum ceteris sententiarum figuris, cumq³ totis ani-
 » mi affectibus.

AD CAP. 4. DE CANTICO

vocis.

1. Altera primæ præceptionis pars de voce exercenda,
 in sententia verbisq; conjunctis sita est, ubi potissimùm
 affectuum genera omnia præcipuum locum habent:
 deinde figuris & ornamentis illustrantur omnia, eaq;
 in vocis cantico: per quod nihil aliud intelligimus quàm
 vocis modulationem quandam, quæ continet in se can-
 tum quendam obscurum, qui fuit observatus à summis
 quibusque Oratoribus.

2. Affectusque comprehenduntur] De affectibus in pro-
 nunciando demonstrandis Cicero quædam 3. de Orat.
 sed hæc tenenda Fabiana: Cùm sint alii veri affectus,
 alii ficti, veri naturaliter erumpunt, ut dolentium, ira-
 scentium

sententiarum & indignantium, sed carent arte, ideo disciplina formandi.

3. *Figure autem verborum*] Altera pars primæ præceptionis exercenda vocis, est in figuris verborum & sententiarum ex subjectis affectibus. Prior pars est in numeris vel repetitionibus, ubi rhythmus cantusq; quidam efficitur. Ciceronis adductus locus est in Oratore ad Brutum. Fabii veró Quintiliani, ad finem pené 3. cap. lib. II jam se peccati.

4. *Quidam cantus obscurior*] Cantum non apertum, sed obscurum debet Orator adhibere, eó quód inde magna ad auditores voluptas redeat. Sic enim 2. de Oratore Antonius: Quis cãtus moderata orationis pronuntiatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? Atqui cantus ille nõ debet esse similis perorationibus Phrygũ, & Carum, quos ajunt in epilogis inclinata ululantique voce canere solitos. C. Cæsar, cùm adhuc prætextam ferret, quendam lectorem audit, qui legens ita modulabatur, ut canere videretur. Itaque sic eum increpuit: Si cantas, bene cantas: at si bene legis, cantas.

5. *Tales sunt illæ inclinationes*] Cantus ille obscurior, quĩ constat flexione vocis, Oratorem imprimis decet. Eo Demosthenes & Æschines usi sunt, & alter alteri hanc artem objecit, nõ quód per se id vitiosum esset, sed quia nimium affectus movere videretur: quod ipsum legibus Atheniẽsium prohibitum fuit. nota enim erat hæc præconis vox *ἀνδὲ ἀγοιμίαν ἔπειθ' ἄν λέγει*: ut ne quis exordiis vel affectibus in dicendo uteretur. Cæterum in campis Marathonis in Attica regione Darii copias vicit imperator Miltiades: At in Salamine Themistocles navali pugna Xerxem potentissimũ regem profligavit. Sequenti póst tempore Pausanias Mardonium Xerxis ducem ad Platęas superavit. Per hos autẽ Demosthenes jurasse dicitur, ut ignominiam cladis acceptæ ad Cheronream levaret. Hujus autem movendi prælii cõsiliũ dedisse Demosthenem a muli arguebant. ad hunc illustrandum locum evolve diligẽter orationem Æschinis contra Cresiphontem, & Demosthenis contrarias.

6. Demosthenes atq; Æschines exprobrant] In Demosthene, solerti, & diligenti & sagaci homine, qui que verborum omnium pondera continuo referret ad examen, reprehendit Æschines quædam, & exagitat: illudensq; dura, odiosa, intolerabilia esse dicit. Quinetiam querebat ab ipso Æschines, cum eum belluam (Græcè κίναδον, vulpē & astutum) appellaret, utrum illa verba quibus uteretur, an portenta essent? At a calumniis sycophantæ vindicari potuit Demosthenes: facile est enim verbū aliquod ardēs (ut ita dicā) notare, idq; restinctis jam animorū incendiis irridere. Sed & ipsemet se purgās Demosthenes (cū istud erratū, non nisi eludendo posset excusare) negabat in eos positas esse fortunas Græciæ, hoc an illud, huc an illuc manū porrexisset, aut vocē inflexisset, vel remisisset aliquātum præter id quod deceret. Hæc ferè Cicero in Orat. perfecto ad Brutum. Certè constat ex oratione Demosthenis de falsa legatione, Æschinem fuisse ἔμφωρον: itemque de corona: contra Demosthenem voce tenui atque exili: quod naturæ vitium alter alteri objicit.

Sed tamen etiam] Distributionis proximæ pars altera est de figuris sententiarū: in quibus major est affectus. Primò generales animi motus proponuntur, deinde sequuntur speciales.

CAP. 5. DE VOCIS INTENTIONE & remissione.

¹ *Sed tamen intendenda vel remittenda vocis in oratione tota, quæ est in verbis singulis, prosodia est. Acuta exemplum est pro Lig. Vide Caesar, quàm non reformidem, quanta lux tuæ liberalitatis & sapientia mihi apud te dicenti oboriatnr. Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Et hanc Orator ipse cōtentionem*

vocis

vocis prædixit. Est acuminis diversa vox, & penè
 extra organū, cui Græci nomen amaritudinis de-
 derunt, supra modum ac penè naturam vocis hu-
 mane acerba: ut cūm populus acclamatione ad-
 versa Ciceronem pro Rabirio agentem turbaret:
 Nihil (ait) me clamor iste commovet, sed consola-
 tur, cūm indicat esse quosdam cives imperitos, sed
 non multos. Nunquam (mibi credite) populus Ro-
 manus hic qui silet, Consulem me fecisset, si vestro
 clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto
 jam levior est acclamatio? Quin cōtinētis vocem,
 indicem stultitiæ vestræ, testem paucitatis? Prima
 illa sunt lentiora: postrema vocis amaritudinem il-
 lam habent. Exemplum gravis & plena vocis est
 Phil. 2. Si inter cœnam in tuis immanibus poculis
 accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò po-
 puli Romani, publicum negocium gerens, magister
 equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis
 esculentis vinum redolentibus gremium suum, &
 totum tribunal implevit. In redditione collationis,
 producenda sunt omnia, trahenda vocales, aperien-
 da fauces, quò major quàm antea, fœditas expri-
 matur. Vocis autem circumplexæ & moderatæ
 exemplum est pro Lig. Quid enim, Tubero, tuus
 ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat?
 cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat ar-
 morum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ar-
 dor animi? quid cupiebas? quid optabas?

AD CAP. 5. DE VOCIS INTEN-
 TIONE & remissione.

1. Communium affectuum voces tres causas habent

secundum tres accētuum species, acuti, gravis, circumflexi, quomodo vox affici solet. Id autē omne sumptum est ex Oratore perfecto, & 3. de Oratore Ad Actionis usum atq; laudem, inquit, maximam sine dubio partem vox obtinet. Et mira est quæ dā natura vocis, cujus quidem ē tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit & tam suavis varietas perfecta in cantibus. Qui ergo eloquentiæ principatum petet, & contenta voce atrociter dicere, & summissa leniter, & inclinata graviter, & inflexa miserabiliter. Contenta vox est, qua quidpiam insectamur atrociter: ut est illud in Pisonem: Tu etiam immanissimum ac fœdissimū monstrum, ausus es meū discessum illum, testem sceleris & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? quō etiam referuntur exclamationes, ut in Verrem multæ, & 1. Catil. Submissæ vocis (qua leniter aliquid, & quasi jocando pronunciamus) exemplum est evidens in Cæliana, quo loco personam sustinet fratris Clodiæ: Quid tumultuaris soror? quid insanis? Inclinatæ (qua graviter & cum dignitate aliquid pronunciamus) sit illud ex Orat. pro Muræna: Finxit te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, justitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelsum. Inflexa denique, qua misericordiam movere conamur. Pro Sylla: O miserum & infelicem illum diem, &c. O falsam spem, ô volucrem fortunam. Idem ad finem Milonianæ potest à studiosis observari.

2. Cicero pro Rabirio] Cicero consul defendens Rabirium, perduellionis reum, interpellatus adversis populi acclamationib. (quo loco apertissimē fatebatur Saturninum trib. pleb. justē interfectum fuisse) usus est hac digressiuncula, qua populi temeritatem, auctoritate consulis reprimat.

CAP. 6. DE VOCE AFFECTUUM.

¹ *Atque hæc communia affectuum ferē omnium: specialia quædam sunt in singulis affectibus, quorum pulsus tactumq; voces exprimunt. Itaq;*

in alio affectu, vocis aliud genus est. Quod de re jam ante Aristotelem Thrasymachus ἐν τοῖς ἐλέοις quaedam praeceperat: nec Aristoteles primus videtur id animadvertisse, praesertim cum ab eo Thrasymachus hac de re appelletur.² In miseratione igitur, vox erit flexibilis, plena, interrupta, flebilis: ut in illo Gracchana orationis loco:³ Quó me miser conferam? quó vertam? in Capitolium ne? at fratris sanguine redundat: an domum? matremne, ut miseram lamentantemque videam & abjectam? Quae á Graccho Tullius ait acta sic esse oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent.⁴ In iracundia vox contraria est, acuta, incitata, crebro incidens, Philip. 2. O praecellam illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus. Quid turpius? quid foedius? quid supplicis omnibus dignius? num expectas dum te stimulis fodiam? Haec te, si ullam partem habes sensus, lacerat, haec te cruentat oratio. Vereor ne imminuam summorum virorum auctoritatem & gloriam: dicam tamen dolore commotus: Quid indignius, quam vivere eum qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur jure interfectum esse, qui abjecerit? Talem vocem requirit reticentia illa:

⁵ Jam caelum terramque meo sine numine ventis, &c.

⁶ In metu & verecundia contractus & hesitans sonus est. Terent. Eun. ⁷

Totus Parmeno tremo horreoque postquam aspexi hanc:

⁸ Talis vox Ciceronis fuit in plerisque exordiis: ut pro Dejotaro etiam significatur: Cum in omni-

M

„ bus caussis gravioribus, C. Caesar, initio dicendæ
 „ commoveri soleam vehementius, quam videtur
 „ vel usus, vel ætas mea postulare: tum in hac caus-
 „ sa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides
 „ studii mei afferat ad salutem regis Deiotari defen-
 „ dendam, tantum facultatis timor detrahat. ⁹ In
 „ voluptate, tenerum, lene, effusum, hilaratum vocis
 „ genus optatur. Qualis est illa vox Aeneæ, pictum
 „ in tapetis Trojæ excidium intuentis:

Constitit, & lachrymans, ¹⁰ Quis jam locus (in-
 quit) Achate,

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

En Priamus: sunt hîc etiam sua præmia laudi:

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia
 tangunt.

Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama salu-
 tem.

¹¹ Dolor sine commiseratione, grave quiddam
 & imo pressu ac sono obductum requirit. In Pi-
 „ son. Meministine cœnum, cum ad te quinta feré
 „ hora, cum C. Pisone venissem, nescio quo é gurgu-
 „ stio te prodire, involuto capite soleatum? & cum
 „ isto ore foetido teterrimam nobis popinam inbalas-
 „ ses, excusatione te uti valetudinis, quod diceres vi-
 „ nolentis te quibusdam medicamentis solere cura-
 „ ri? quam nos causam cum accepissemus, (quid e-
 „ nim facere poteramus:) paulisper stetimus in illo
 „ ganearum tuarum nidore atque fumo, unde tu
 „ nos cum improbissime respondendo, tum turpissi-
 „ me eructando ejecisti. ¹² In blandiendo, fatendo,
 „ satisfaciendo, rogando, levis vox & summissa est.
 Aeneid. 4.

Mene

13 Mene fugis? per ego has lachrymas, dextram-
que tuam, te

(Quando aliud mihi jam miseræ nil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos:
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labētis, & istam
Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentē.

*Atque hac de vocis & in singulis verbis & in to-
tis affectibus moderatione: ad quam exercendam,
optimum esse censet Fabius ediscere quàm maxi-
mè varia, qua flexus omnes habeant, eaq; quotidie
ita dicere, ut agimus, ut simul in omnia paremur.*

14 Sic Cicero vitium huic moderationi contra-
rium emendavit. Omnia enim sine remissione, si-
ne varietate, vi summa vocis, & totius corporis
contentione dicebat. Sed peragrata Græcia & A-
sia, omnium generum Rhetoribus auscultatis, &
ad hoc remedium adhibitis, tandem non modò ex-
ercitator, sed propè mutatus rediit. Medicina ta-
men ista continuata est diutiùs ut à cœna post So-
lis occasum frictiones, & certorum spatiorum in-
ambulationes tenerentur. *Recreanda ocula caus-
sa necesse est mihi ambulare: scribit jam atate gra-
vis ad Atticum. Quintilianus huc adjungit un-
ctiones, temperantiam Veneris & victus.*

AD CAP. 6. DE VOCE
affectuum.

i. Traditur hîc affectuum specialium ratio ad vocem
exercendam & variandâ spectantium, quæ doctrina re-
petitur ex Thrasy-macho, vel Aristotele ipso. Sic Fabius:
Vox, mentis index, & velut exemplar, ac totidē, quot il-
la, mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, sim-

plex, & ipsa quodam modo hilaris fuit: at in certamine erecta totis viribus, & velut omnib. nervis intenditur. Atrox in ira, & aspera ac densa, & respiratione crebra. Neq; enim potest esse longus spiritus, cum immoderate effunditur. Paululum in invidia facienda lentior, quia non feré nisi ad hanc inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis & summissa. Suadentium & monentium, & pollicentium, & consolantium gravis: in metu & verecundia, contracta: adhortationibus fortis: disputationibus teres: miseratione flexa & flebilis, & consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, & securæ claritatis: in expositione ac sermonibus recta, & inter acutum sonum & gravem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compositis descendit, pro utriusq; rei modo altiús vel inferiús.

2. *In miseratione*] Prima specialis affectus causa in miseratione, cui vox accommodanda est. Cicer. 3. Orat. Aliud misratio ac mœror sibi sumat, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce.

3. *Quó me miser*] Hæc ad finem 3. de Orat. Cicero retulit ex Oratione C. Gracchi factiosi trib. plebis, qui cum præfagiret sibi ab optimatibus insidias strui, sic apud populum sermonem habebat. Id mihi videtur imitatus Cicero ipsemet ad perorationem defensionis pro Mutæna. Sic enim ille: Si (quod Jupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis: quó si miser vertet? domúmne? ut eam imaginem clarissimi viri parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? an ad matrem, quæ misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paulo post spoliatum omni dignitate conspiciat? Ibit igitur in exilium miser? quó? & quæ sequuntur.

4. *In iracundia*] Causa secunda variandæ vocis in iracundia: de qua sic idem M. Tull. Aliud vocis genus iracundia sibi sumat, acutum, incitatum, crebro incidens.

5. *Jam cælum*] Neptunus ventos increpat, mare sine suo jussu conturbantes.

6. *In metu*] Tertia causa, in metu & verecundia. Cic. Ibid.

Ibid. Aliud metus, demissum & hæsitans & abjectum.

7. *Totus Parmeno*] Verba Phædriæ adolescentis, visam Thaidem miseré depereuntis.

8. *Talis vox Ciceronis*] De Oratore 2. præcipit exordium ut verecundum sit: quam verecundiam qui nõ habeat, impudentem merito haberi dicit: & excellentes quosque Oratores præ metu loqui initio non potuisse.

9. *In voluptate*] Quarta caussa, in voluptate, de qua sic Cic. Aliud voluptas, effusum, lenè, tenerum, hilaratum & remissum.

10. *Quis jam locus*] Æneas hæc dicit, jam tandem Carthaginè appulsus, nebula tectus, inque parietibus templi magnificè à Didone excitati depictam belli Trojani historiam uná cum suo Achate intuens.

11. *Dolor siue commiseratio*] Quinta caussa, in dolore. Sic Cic. Aliud molestia, sine commiseratione grave quiddam, & uno pressu ac sono obductum.

12. *In blandiendo*] Sexta & postrema caussa, in blandiendo posita. Vide Fab. cap. 3. II.

13. *Sed Cicero vitium*] Clauditur doctrina exercendæ vocis, Fabii testimonio. De vitiis Demosthenis & Ciceronis in voce, multa certè, eaque varia Critici nonnulli: sed lege Plutarchum.

14. *Mene fugis*] Dido Æneam abire cogitantem, jamque se ad iter comparantem amoliri conatur his verbis.

C A P 7. D E P R Æ S T A N T I A actionis.

¹ *Hactenus de voce: actionis lex & gestus superest (quam Quintilianus² chironomiam appellat)*
³ *virtutis multo majoris, quam ulla vox esse possit.*
In iis enim omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis à natura data, quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commoventur: verba enim neminem movent, nisi eum qui ejusdem linguæ societate conjunctus est: senten-

M iij

tiæque sæpe acuta, non acutorum hominum sensus prætervolant. ⁴ Actio, quæ præ se motum animi fert, omnes movet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis & in aliis agnoscunt, & in se ipsi judicant. ⁵ Argumento magno est Pantomimus, qui solo gestu, sine voce, omnia spectantibus significat: ut gestus in tanta per tot gentes linguarum diversitate, tanquam communis hominum sermo esse videatur. ⁶ Imò verò etiam bestiarum, quæ signis affectus suos enuntiant: quin etiam rerum inanimatarum: sic enim pictura & ⁷ imagines tacite loquuntur. Itaque gestus, sermo corporis & eloquentia rectè à Cicerone nominatur: in eoque summum studium duo summioratores ⁸ Demosthenes & Cicero posuere. Demosthenes speculum grande intuens, componebat actionem & gestum corporis: & quamvis fulgor ille sinistras imagines redderet: suis demum oculis, quod efficeret, credidit. ⁹ Quin etiam Satyrum histrionem ad eas artes magistrum adhibuit. ¹⁰ Et Cicero histrionibus quoque hujus doctrinae magister, Roscio Comædo, & Æsopo Tragedo usus est. Chironomiã verò Quintilianus auctor est ab heroicis usque temporibus repetitam, ab ipso etiam Socrate probatam, à Platone quoque in parte civilium positam virtutem. Quare nec Aristoteles primus id animadvertit.

AD CAP. 7. DE ACTIONIS
præstantia.

I. Transiitum facit à Pronunciatione ad Actionem: quæ primò describitur lex gestus, & ἁπορροπίαι: cōmendaturq; per comparationem majorum ejus factorum: quia

quia cūm latius pateat, cæteris est præferenda. Id confirmatur caussa, nempe natura: deinde per inductionem duplicem.

2. *Quintil. ἁπονομίας*] Lib. II. cap. 3.

3. *Virtutis multo majoris*] Cicero sentire contra videtur ad finem 3. Oratorii Dialogi. Ad Actionis autem usum atq; laudem (inquit) maximam sine dubio partem vox obtinet: quæ primum est optanda nobis: deinde quæcunq; erit, ea tuenda. Sed ut id cõponatur, vox ipsa multo plus potest, si habeatur ratio tantum unius & ejusdem nationis, quæ unica lingua utatur: sed si variarum gentium habeatur ratio, ut quæ linguas dispares habeant, actio & gestus majorem facultatem obtinebunt.

4. *Actio quæ præ se*] Paulo antè diximus, vocem ad aures gestum ad oculos pertinere. Quoniam igitur sensus oculorum est omnium acerrimus, sequitur actionem gestumque vehementius movere, quam vocem & pronunciationem. Rectè Horatius in arte:

*Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

5. *Argumento magno*] Pars altera inductionis earum rerum, quæ movet, ut Pantomimi, & bestiarum. Apud veteres commendata populari laude fuit ars illa Pantomimorum, qui gestu & saltatione quicquid vellent, repræsentabant. Id nostra ætas, antiquitatis æmula, vidit in quibusdam histrionibus, quorum, non modò natus ac vultus, sed & digiti pedesq; loqui videbantur. Et Neronis tẽpore, Demetrius Cynicus cūm mimum spectaret, adulterium Martis & Veneris saltantem, ita exclamavit permultum admiratus: Audio, inquit, ô homo, quæ facis, nec modò video. sed & mihi videris manibus ipsis loqui, id est, ἀκίω, ὡς ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, ἔχ' ὁρῶ μόνον, ἀλλὰ μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. Legimus etiam alicubi regē Ponti petiisse à Nerone, ut sibi mimum daret, quo uteretur apud exteros interprete. Mimus is ita gestibus omnia exprimebat, eaq; dexteritate se movebat, ut facilè & citò ab omnibus intelligi posset. Eos homines ἁποσόφους appellabat Lesbonax Mitylenæus,

6. *Imo verò etiam bestiarum*] Exempla tibi Plutarchus

M iij

suppeditat lib. de animalium solertia, de amore parentum in liberos, & aliis locis.

7. *Pictura & imagines*] Lege Valerium Max. lib. 8. c. 11. Plin. 36. cap. 5. & 10. Ælian. 2. var. hist. & alios.

Imó veró etiam bestiarum] Sic Fabius: Quód gestus multum valeat, satis vel ex eo patet, quód plæraq; etiam citra verba significat. Quippe nõ manus solúm, sed nutus etiam declarant nostrã voluntatem, & in mutis pro sermone sunt: & salutatio frequenter sine voce intelligitur, atque afficit, & ex vultu ingressuque perspicitur habitus animorum: & animalium quoq; sermone carentium ira, lætitia, adulatio, & oculis & quibusdam aliis corporis signis deprehenditur. Nec mirum si ista, quæ tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent, cû pictura tacens opus & habitus semper ejusdem sic in intimos penetret affectus, ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur.

8. *Demosthenes speculum*] Fab. ejusdem lib. 11. cap. 3.

9. *Quin etiam Satyrum*] Testatur Plutarch. Demosthenem, de oratoria facultate pené desperantẽ, quippe qui minimé placere posset ob vitiosam in dicendo actionẽ, à Satyro histrione non parum fuisse confirmatum, recitatis aliquot versibus Euripidis aut Sophoclis, tanta dignitate vocis, adeoque decenti actione, ut alii plané ipsi Demostheni viderentur. Itaque jam inde putavit nihil esse in oratione laudis, nihilque gratiæ, nisi ea commoda pronuntiatione conformaretur.

10. *Et Cicero histrionibus*] Cicero non minus quàm Demosthenes in agendo elaboravit: itaque dedit operam Roscio Comædo, & Æsopo Tragædo, quod præter alios plures asseverat Macrobius alicubi. Cum Roscio enim contendere solitus erat, utrum sæpius ille sententiam eandem variis gestibus efficeret, an ipse sua eloquentiæ copia sermone vario pronuntiaret. Sed & Oratione pro Quintio testatur ipsemet se Roscio familiariter usum,

CAP. 8. DE GESTU TOTIUS corporis.

Lex una hic summa est, ut omnes vocis flexiones

nes

nes subsequatur gestus, non hic verba exprimens Scenicus, sed universam rem & sententiam nõ demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti & virili, non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiã à palastra.² Trunco igitur totius corporis orator se ipsum moderetur, & virili laterum flexione, gestumque magis ad sensus, quã ad verba accommodet. Motus gesticulationibus ridiculus est. Sextus³ Titius tam solutus & mollis in gestu fuit (sicut est in Bruto) ut saltatio quedam nasceretur, cui Titius nomen esset: & ⁴ Hortensius, tanquam histrio, appellatus gesticularia Dionysia, notissima saltatrice nomine, ut apud Gellium est, & nominatim à Cicerone dictum, in motu & gestu plus artis habuisse, quã esset oratori satis. Sed in his immoderatum studium reprehenditur: ⁵ status verò corporis sit secundum naturam erectus & excelsus. Etenim
Natura

⁶ Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus,

⁷ Contraria autem nutatio & vacillatio, quã indecora sit, Curionis motus ille argumento est, quem Julius (ut est in Bruto) in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quæsivit, quis loqueretur e lintre: & Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus. Is cum Tribun. Pleb. Curionem & Octavium, «
Consules produxisset, Curioque multa dixisset se- «
dente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fa- «
sciis, & multis medicamentis, propter dolorem ar- «
tuum delibutus: Nunquam (inquit) Octavi colle- «

M v

⁶⁷ *getuo gratiam referes, qui nisi se suo more jactas-*
 ⁶⁸ *visset, hodie te istic musca comedissent.*

AD CAP. 8. DE GESTU TO-
 tius corporis.

1. Haftenus Actionis descriptio & commendatio fuit, Ejuſdem sequitur doctrina, generalis una, specialis altera. Illa quidem generale præceptum continet, quo monemur gestum corporis accommodandum esse, nõ solum ad vocis flexiones, sed etiam ad sententiæ varietatem: nõ more histrionico, vt gravitas in homine dicente retineatur. Sic Cic. 3. de Orat. Omnes hos motus (de quibus diximus) subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scenicus, sed universam rem & sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, nõ ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra.

2. *Trunco igitur*] Generalis doctrina de Actione describitur ex adjuncto motu totius corporis, sed sensibus accommodato, ut gravitas servetur: idque illustratur exemplis duobus gestulationis ridiculæ, ut ex contrario vitio major præcepti veritas appareat.

3. *Titius tam solutus*] Hæc verba sunt M. Tullii é Dialogo de cl. Orat. Hos Sext. Titius consecutus, homo loquax sané, & satis acutus, sed tam solutus & mollis in gesto, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset Quintil. veró sic: Longissimé fugienda mollis actio, qualé in Titio Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis quoddã genus Titius sit appellatum.

4. *Hortensius tanquam histrio*] Gellius 1. cap. 5. Hortensium reprehensum fuisse scribit propter nimium corporis cultum, & quód manus inter agendum essent argutiores. Val. Max. lib. 8. cap. 10. ait eum plus studii in apto corporis motu posuisse, quam in ipsa eloquentia affectanda. Itaque nescires utrum cupidius ad eum audiendum, an ad spectandum concurreretur: sic verbis Oratoriis aspectus, & aspectui verba serviebant. Constat ergo Æsopum & Roscium ludicræ artis peritissimos viros, illo causas agente, in corona frequenter

astu.

stitisse, ut foro petitos gestus in scenam referrent.

5. *Status verò*] Præceptio altera de gestu corporis universi naturæ accommodando, in statu cōsentaneo gravitati ponitur. Cic. ita: Motu sic utatur Orator, ut nihil superstit in gestu. Status erectus erit & celsus. Sic verò Fabius: Status sit rectus, æqui & diducti paululúm pedes, vel procedens minimo momento sinister: genua recta, sic tamen ut non extendantur.

6. *Os homini*] Cur status debeat esse rectus, ducitur ratio é naturali causa, de qua Ovid. i. Metam.

7. *Contraria autem nutatio*] Præcepti alterius amplificatio ex adjuncta turpitudine contrarii status, per inductionem exemplorum duorum. De Curione Cicero in Bruto, & Fab. cap. 3. ejusdem lib. ii.

CAP. 9. DE GESTU CAPITIS,
frontis & oculorum.

² *Atque hæc de corporis universi gestu: partium item sua quædã ratio est, & quidem præcipua capitis, cum illo corporis statu consentientis. Demisso capite humilitas & modestia significatur: & hoc gestu Poëta verecundiã Regine exprimit Æn. i. Tum breviter Dido vultum demissa, profatur.*

Eundem modestie gestum proponit Homerus Ulyssis exemplo quem dicit stetisse oculis in terram defixis, immotoq; sceptro, priusquam illã eloquentiã procellam effunderet: eoq; gestu² par est Cicero- nis timorem in principiis significatũ esse: quin etiã id testificatur oratione illa, Cũ in omnibus causis, C. Caesar, &c.³ Aspectus vertitur eodem, quò gestus corporis: exceptis, qua aut damnanda, aut removenda sint, ut videamur a versari. Æneid. 3.

⁴ — Dii, talem terris avertite pestem.

Æneid. i.

⁵ Haud equidem tali me dignor honore.

Solo tamen capite gestum facere, aut frequenter facere, vitiosum scenicis doctorib. visum est: frontem ferire in dolore, Ciceroni videtur oratorium, Fabio autem scenicum. ⁶ Sed in ore ac vultu sunt omnia: in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Vultus autem imago est animi, indices oculi. ⁷ Quare cum effeceris, nequid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorum magna debet esse moderatio: qui quot animi motus sint, tot significationes & comutationes habent. Tullius in Pisone cavillatur oculorum motum. Cū esses interrogatus » (ait) quid sentires de Consulatu meo: gravis au- » thor Calatinus credo, aliquis aut Africanus, aut » Maximus, & non Cesonius semiplacentinus, Cal- » ventius: respondes, altero ad frontem sublato, altero » ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. Qualis illa nimirum comici patris, interim concitati, interim lenis persona est: similis enim est inequalitas. ⁸ Narium, ⁹ labrorum, ¹⁰ menti, cervicum, ¹¹ humerorum vitia magis notantur. ¹² Humeros jaētabat Demosthenes: sed hoc vitium ita dicitur emendasse, ut cū in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret: ut si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur.

AD CAP. 9. DE GESTU
capitis.

1. Actionis altera doctrina, specialis in singulis partibus corporis, quæ hîc potissimūm numerantur. Primæ partis actio est capitis, quæ cū statu corporis debet esse consentanea. Id exemplis illustratur. Sic Fabius. Caput est, cū ad illum, de quo dixi, decorem: tum etiam ad significationem decoris, illa sunt, ut primò rectum & secundum

cundum naturam fit. Nam & dejecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato languor, & præ duro ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur.

